





WITH
ADVANCE
COVRAGE


EX
LIBRIS
VERNON
WATNEY



✓ Quite perfect, having the excessively rare leaf of Latin verses by I. Gruterus and the Post-Prefatio, 3 leaves

This copy has the extremely rare three leaves containing the Post Praefatio, which were most carefully cancelled in all the copies imported into England.

Added at the end a laudatory poem on the House of Orange by Hugo Grotius.

John Landwehr



Pro Christo et Patria dulce periculum et in Morte Vi... ta.





Audiui vocem de cœlo dicentem mihi, scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur A modo iam dicit Spūs ut requiescant a laboribus suis
Apoc. 15 V 13





HERωOLOGIA ANGLICA

HOC EST

CLARISSIMORUM ET DOCTISSIMORUM. ALIQOUT ANGLORUM QUI FLORUERUNT AB ANNO CRISTI M.D. USQ: AD PRESENTEM ANNUM M.D.C.XX

Viuæ Effigies Vitæ et elogia
Duobus tomis

Authore. H.H. Anglo Britanno:
Impensis Crispini Passæi Calcographus et Jansonij Bibliopolæ Arnhemiensis.





AVGVSTISSIMO POTENTISSIMOQVE MONARCHÆ.

IACOBO,

D. G.

BRITANNORVM IMPERATORI:


MAGNÆ BRITANNIÆ GALLIAE ET HIBERNIAE REGI, FIDEI VERÈ CATHOLICAE ET APOSTOLICAE DEFENSORI, &c.

NEC-NON,

VIRGINIÆ, BERMVDÆ, NOVÆ ANGLIÆ ET ALIARVM INSVLARVM IN AMERICA LEGITIMO REGI:

H. H.

MAIESTATI EIVS HVMILIMVS AC FIDELIS SVBDITVS, HANC HERωOLOGIAM ANGLICAM, QVAM HVMILLIME AD PEDES M^tis. SVAE PROVOLVTVS, DICAT DEDICAT CONSECRATQ.





Vidquid eſt in orbe, florem non diu ſervat ſuum.
Aut ſiniſtris obſoleſcit aerepentè caſibus,
Aut ſenet ſenſum abſque ſenſu, dum niger fiat cinis.
Sola virtus Martialis, ſola virtus Pallados,
Creſcit ævo grandiori, deſpuitque oblivia
Temporum; ac loco hoc vel illo, luce gaudet perpete.
Quod ſi eam favente ſculptor luce quis adſpexerit;
Non modò hoc loco vel illo luce gaudet perpete,
Occupat totum ſed orbem ſempiterno ſidere.
Ergo macte mens Hollanda! macte Paſſæi manus,
Quas jugo uno copulavit Sudor atque Induſtria!
Arte veſtrâ heroa virtus totius Britanniæ,
Et ſago & toga celebris ante plura ſæcula,
Iam reſurgit de ſepulcris, jam redit clarum ad diem:
Iam relinquit inſularum maximam; jam orbis vias
Luſtrat utriuſque cunctas, major invidentia:
Quaque pergit, omnium implet corda veris gaudijs,
Aque plauſuum fragore totus aër percalet.
Ante cunctas, inque amore eſt, inque honore, Virginis
Alma Iacobi imago, imagoque alma Eliſæ ducis.
Aſtra ceteri videntur; Sol hic, illa Cynthia eſt.

I. Gruterus.

PRÆFATIO,

Ad

SPECTATOREM PIVM ET AD HVMANISSIMVM LECTOREM.



Vum (candide ſpectator, & Chriſtiane Lector) Divinæ glorię illuſtratio, ad quam nati & renati ſumus, ſingularum noſtrarum actionum ſcopus & terminus eſſe debeat, ipſe Chriſtianorum minimus, ſæpius & ſeriò mecum cogitans, quantopere Deum Opt. Max, contaminatè & incompoſitè vivendo offenderim; & imprimis cupiens aliquid publicè in poſterum præſtare, quod in ſummi numinis Honorem & Eccleſiæ emolumentum cederet, Deum Mundumq; teſtor, me non reperiſſe qua commodiore & magis compendiaria via illud efficerem quam ſi *Anglorum Heroum*, Martyrum & aliorũ expreſſos vultus & vivas E F F I G I E S orbi Chriſtiano proponerem. Etenim, aliquot horum Domi Belliq; Nobiles fuerunt; pleriq; autem eorum perinſignes ſacri Euangelij Aſſertores, & invicti adverſus Synagogam Romanam pugiles & Antagoniſtæ extiterunt. Tales inclyta & beata noſtra *Anglia* produxit, Et hij (prout ex ξεογραφία eorum liquidò conſtabit) non ſolum ſapientiæ. Eruditionis; Pietatis et Fortitudinis, laudibus inclaruerunt, ſed etiam, (quod noſtris Adverſarijs os obſtruit) bonis operibus, et charitatis fructibus abundârunt.

Et quamvis multis retro ſæculis in noſtra Natione non defuerint, celebres viri & locupletiſsimi teſtes, qui in nocte & picea Papatus caligine lumen dederunt, nominatim *Gyraldus Nigellus*, *Neckhamus*, *Sevallus*, *Baconthorpius*, *Mapus Alexander Theologus*, *Killingtonus*, *Hampolus*, *Armachanus*, *Badovardinus*, *Abelard: Guil. de Scto. Amore*, *Groſthedus*, *Epūs Lincolnienſis*, ab omni laude felicior *Wickleffus*, *Rex Alphredus*, *Humfredus Dux Glocestriæ*, *Capgravus*, *Orlæus*, *Galfredus Chaucerus* pöeta decantatiſsimus, *Baconus Scotus*, *Ockamus*. *Gorranus*, *Lyra*, & alij permulti ferè innumerabiles: Qui omnes non veriti ſunt nec dubitarunt, (teſte ipſo *Wiclero*, teſte *Balæo*, teſte & doctiſso. *Laur: Humfredo*) ore vel ſcriptis ſcelera & luxum Romanenſium, Monachorum, Fraterculorum, miſſaticorum, in Theatrum proferre; Tamen, his prætermiſsis, recentiores tantum-modò ſelegi et delibavi, quorum, (maximam partem) temporibus Regum *Henrici Octavi*, *Edovardi ſexti*; *Reginae Mariae* (nimium amaræ) imprimis vero Regnante *Elizabetha* Heroidum Phœnice, et ſempiternæ memoriæ Regina, vel nos vel Patres ſaltem noſtri vidimus et cognovimus, aut eos videre et cognoſcere potuimus, et quorum bona pars his Halcyoneis diebus Salomonis Noſtri *Iacobi* Monarchæ potentiſsimi, et ad Antichriſti (ut confidimus) exitium ſuſcitati, fæliciter et dulciſsimè in Domino obdormierunt.

Huc accedit, quod finitimæ Gentes et Regiones quæ vultus et Effigies Popularium ſuorum doctiſsimorum expreſserunt, mihi prælucent; et eminentiſsimè *Iacobi Verheideni* delineatio, ſeu μορφογραφια, mihi exemplo eſt:

eſt:nã ſic inſcribitur, *Præſtantium aliquot Theologorũ qui Romanum Antichriſtum præcipuè oppugnarunt Effigies & Elogia*, in ęre elegantiſsime inciſę ab induſtrio viro *Henrico* HONDIO: Hujus ordinem & formam ſum alaquatenus imitatus, ut, transmarinæ Provinciæ & Regiones vivos Noſtratium optimè meritorum, tam Procerum & virorum genere Nobilium, quàm Epiſcoporum & Paſtorum vultus, quos nondum niſi ex auditione, fama & ſcriptis viderunt aut cognoverunt, coram contemplari poſſent.

Tertiò, huc adductus ſum, ut ſplendorem et Noſtratium Heroum et Athletarum Religioſiſsimorum res præclare geſtas perbreviter exponerem, propterea quod, quaſi obiter et in tranſcurſu aliquot terras Papiſmi peſte infectas pervagatus, et aliquid commemorabile et laude dignum in illis invenire enixus; tamen nihil in eorum Templis & in univerſa iſtorum Sacrificulorum Colluvie, vel auribus vel oculis percepi, præter illas variegatas & auro-rigentes *Sacerdotum Copas*, Fulgidas *Thenſas*, artificioſiſsima *Pigmenta*, *Vexilla*, *Cruces*, *Crucifixa Simulachra*, pompoſas clamoſarum *Litaniarum Solennitates*, illuſorias *Indulgentias*, ſphærulas *Precatorias*, *Candelas*, *Lampades*, *Chriſmata*, canora & aures-permulcentia-*Organa*, *Pneumatica*, *Campanas*, *Choros*, (modulorum ſolertiam et crebritatem) demurmurationes *Confeſsionum*, *Pater-Noſter*, *Ave-Maria*, ad ravim repetita, propriorum Corporum *flagellationes Baaliticas*, *Iejunia* ſuperſtitioſa, *vigilias*, *Obſequij*, *paupertatis* & cœlibatus *vota*, *Exorciſmorum* ludibria, *Unctiones*, *Miracula* commẽtitia, vel plane diabolica; *Sæcularium*, *Ieſuitarnm*, *Fraterculorũ*, (albatorum, atratorum cœ-

 ſiatorum

ſiatorum) lana-linoq́; variè contextas tunicas; nihil deniq́; conſpicatus ſum præter Virgines Veſtales, ſeu *Monachas, Capucinos, Anachoretas*, & miſcellaneam Comicarum & Mimicarum geſticulationum turbam, nugas planè Apinaſq́; : Vidi inquã, & Iſtorum deliria ſum demiratus, vidi, & cœcitatem ſum miſeratus; vidi, & non ferendam Idolomaniam deteſtatus: Et ne vivam, ſi quippiam notavi, prędicabile, ſpirituale aut Divino cultui conveniens.

Proinde, egomet (pro meo modulo & in magna adminiculorum penuria) Hanc Rhapſodiam, ad Numinis æterni gloriam, & Patrię utilitatem operoſè contexui. Quem jnchoatum laborem ſi ſuperſtes ad optatos exitus perduxero, me beatum judicabo.

Vt autem majus & melius Opus in commune bonum parturiam & pariam, tuas, (pie Spectator & amice Lector,) ferventes & frequentes Preces imploro, & ſupplex peto, ut meam Opellam in mitiorem partem interpreteris: Vale.

POST-



POST-PREFATIO, SEV COMMONEFACTIO SPECTATORI PIO, LECTORI CANDIDO CENSORIQVE ÆQVO.



Octi, dilecti, pijq;: En vobis delineatas *Anglicanæ Gentis* Heroum *Effigies*, quas curavi (quod maximè potui) ut ab ipſis illorum vivis imaginibus oleo depictis effingerentur: una cum ſuccincta vitarum ſuarum hiſtoria, quæ collegi & conquæſivi ex ipſis VERITATIS viſceribus in Mundi Theatrum produco, non ſpectandi ſolum gratiâ (cùm puerorum ſit nuda oſcilla, ſeu imagunculas attonitè intueri) nedum ſuperſtitioſò affectu ullo: Papiſtæ enim canonizatorum ſacrificulorum ſuorum *Icones* retinere ſolent inviolatas; ſed etiam idq́, imprimis, ut illorum piam memoriam illuſtremq; famam immortalitati commendarem, defunctoſq; quodamodo a mortuis excitarem, & illis quandam vitam infunderem. Neque tamen dicti illius immemor, S^ti^. *Auguſtini* in libris ſuis de Civitate Dei: *Sepulchrorum memoria magis eſt vivorum conſolatio quàm defunctorum utilitas*. Deniq; ut ipſe hæc vivorum ſimulachra intuitus, & virtutibus jam defunctorum notatibus Deum Opt. Max. gloriâ afficias, propter tam eximios & ſalutares adminiſtros excitatos. Theologorum autem & Scriptorum vitis utcunq; a me delineatis Catalogum & quaſi Commentariolum quoddam ſingulorum Librorum & Tractatuum ab ijs conſcriptorum ſive Anglicè ſive Latinè editorum ſubjeci & ſubjunxi.

Sed fortaſſe aliquis veſtrûm excipiet (vos autem ὁμοεθνεῖς populares meos alloquor) ſupereſſe complures alios perexcellentes viros natione Anglos qui in hoc album referri poſſent: Concedo id quidem, ſed in veras illorum

Effigies non potui incidere: falsas autem & adulterinas Picturas in omnium conspectum proferre nolui: Huc accedit, quod destinatum & mihi propositum numerum, complevi. Neque vereor affirmare hos ipsos quos exhibui intra Centenos annos proximè elapsos in Natione nostra longè excelluisse. Nihilominus, si qua in re deliquerim, vel minus exquisitè quid descripserim, quod non adeo repugnanter agnoscam, ad tuam, benevole Lector (Spectatorq;) facilem & candidam Censuram confugio, unde in proposito meo confirmabor, & postea omnium aspectui judicioq; exponam, consimiles virorum præstantium atq; etiamnum in nostra Gente superstitũ *Effigies*, quibus sapientiores, doctiores, prudentiores, nulla ætas vidit. Et hoc sanè opus parturio, jamq; in manibus habeo. Iterum valete.

ADMONITIO AD LECTOREM.

EXistunt sanè aliquot Europęi & hodierni Scriptores, historici, Chronographi, qui sunt meritissimo reprehendendi & graviter exagitandi, imprimisq; duo nostrates: Quorum alter, in aperto Atheismo, mollitie & luxu flore ætatis suę consumpto, jã in grandiore ætate, res asperas expertus, se ad scribendum confert & convertit, inq; voluminis sui præfatione, tamen non absq; Divini Styli & nonnullius gravitatis probabilitate, non veretur nec verecundatur, paulò petulantius, et rigidioris censoris ritu, scribere de multis illustrissimis nostræ Gentis principibus, & illis quidem Regibus vnctis; & nobilissimis Regiæ Majestatis Antecessoribus, de quibus propter eorum egregiam regni administrationem & excellentia merita cæteri nostrates Chronographi perhonorificam mentionem faciunt: Iste autem Scriptor noster, (spiritu nescio quo impulsus, & monumentis scriptis, nescio quibus, præmunitus) in

hos

hos principes asperum & maledicum stringit stylum: & maximè omnium invehitur in Regem Henricum, illius nominis octavum, tam recentem Regis Iacobi antecessorem. Huic tam magnifico Regi minimè parcit, curiosè in ejus nævos & labes inquirens, (quis autem est peccatorum expers?) ejus Commissa summo acerbitatis gradu exaggerat, & hoc modo totam hujus nobilissimi Regis vitam, & acta ejus splendidissima dedecorat deformatq;: gratum sanè opus papistis, qui nobis, tales nostræ religionis instauratores contumeliosè objectant. Sed tam maledicę, & minimè candidæ censuræ Deo (sat scio) non placent, quamtumvis Styli bonitate obumbratę, & in auctore (ni fallor) supersunt aliquot suæ veteris vestigia fraudis. Et istorum scriptorum alter ad nostra Tempora propius descendens, detrahit & obtrectat laudibus illustrissimæ Reginæ *Elizabethæ* (cujus memoria est in sempiterna benedictione) & asserit, (falsissimò tamen (Eam olim Missam idololatricam frequentâsse: & quis ignorat quod Regina Elisabetha ab illa abominabili missa semper abhorruit, obq; eam causam toto Marię sororis quinquennio, captivata & de vita sua periclitata fuit? Idem ille Cynicus Zoilus, eodem erroneo detractionis spiritu abreptus, carpit, et maledico Stylo insectatur, nonnullos heroas qui erant Reginæ à secretioribus consilijs, qui, (prout confidenter affirmare audeo) egregiam et illustrē operam Reipub. impenderunt, quemadmodum ex vera vitarum suarum narratione magis est conspicuum. Proinde tibi (candidissime lector) locò admonitionis sufficiat, quod de duobus clarissimis Scriptoribus hæc effudi: qui eorum peramaras invectivas excipias (ego autem qualis quisq; sum, candidus et ingenuus sum, virtutemq; in ipso hoste probo) in suis historicis narrationibus præclarè de nostra natione sunt demeriti. Tandem igitur aliquando finem facio, illud prisci et *sanctitate excellentis* Patris Apoththegma vsurpans, *de mortuis nil nisi bonum*. Iterum valè.

)(6 T. D.

T. D. SACRÆ THEOLOGIÆ BACCALAVREVS AC V. D. MINISTER IN LAVDEM OPERIS ET ETIAM AVCTORIS INGENVI, AMICI SVI CHARISSIMI FIDELISSIMIQVE.

Surgunt Martyrio celebres viʋuntq́ sepulti
Anglorum Proceres, Primates atq; Monarchæ,
Lucem conspiciunt Patres : Vigilesq́ Sionis
Visuntur, quorum vultus, descriptaq́ vita
Elucent, hilarantq́ bonos pietatis amicos,
Laus te magna manet, solers sed sobrie Scriptor,
Vitam defunctis reddis, verasq́ Figuras,
Depingisq́; styli bonitate, illustria facta:
Ornat & interpres Herôas veste latina.
Vnde decus, nomenq́ virûm circumvolat Orbem.
Jnfensi frendunt Hostes, trepidantq́; Papani,
Cladem instare rati sibimet, celeremq́; ruinam:
Exultant verô Sancti, plausuq́; triumphant.
Bellua si Romana suos extollit ad Astra
Artifices sceleris, ducitq́; è marmore vultus,
Jnfernus quos Pluto tamen torquere putatur;
Laudandi quanto-mage, sculptiq́; videntur
Jnsignes CHRISTI *Servi, sanctiq́; Dynastæ?*
Dona Dei, Dotesq́; patrum, Regumq́; Trophæa
Omnino celebrare decet. Stylus atq; Poema.
Carmen & Effigies, hæc aptè munera præstant.
Testor quos EVROPA *tenet, pars Optima Mundi,*
Inclamoq; simul Brittannæ *lumina Gentis.*
Sancte Lector, (literis, & mentis acumine præstans)
Suscipe veridicum Scriptorem, utcunq; latentem.
Interpres cujus Nomen celatur (amice
Mæcenas) implorat opem. Deus augeat annos,
Eventus tribuat tibi, successusq́; secundos.

Ejusdem

Ejuſdem

T. D. IN LAUDEM OPERIS ET etiam auctoris ingenui amiciq; ſui chariſsimi, H. H. Anglo-Batavo-Britanni carmen Heroicum.


Ira loquor, ſed vera loquor, miracula narro.
Multa reviviſcunt Britannæ lumina Gentis,
Invicti Reges, famâ ſuper æthera noti
Semidei Heroes totius cymbala mundi,
Atque renaſcuntur Patres, vigileſq; Sionis
Martyrio clari, varijs virtutibus aucti:
Hos videt, hos Europa ſtupet, pars optima mundi.
Papani certâ, trepidant, inſtante ruina;
Chriſticolæ verò ſaltant, plauſuq; triumphant.
Laus te magna manet (ſolers, ſed anonyme ſcriptor)
Defunctis vitam reddis, veraſq; figuras.
O, vivis vivos depinge coloribus Anglos,
Tales penſabit pietas Divina labores.
O tu (Lector amans) & tu (Spectator amice)
Suſcipe veridicum Scriptorem (utcunq; latentem)
Æmulus, Heröum deſcriptas perlege vitas
Tum fortaſſe novam prolem prodire videbis.

Τω θεω μόνω δόξα καὶ τιμή

AD

AD

EFFIGIES ILLVSTRISSIMORVM ANGLORVM QVAS

COLLEGIT ANGLO-BATAVO-BRITANNVS:

DEPICTOR, celebres Mavorte atq; Arte Britãnos
Anglus, depinxit, fingere nec voluit.
*Pingant ficta suis, Romanâ sede * cacati,*
Annumerent Divis, quos Deus odio habet:
Garneti vultum depictum sanguine credant,
Loyolam Lotium reddere Virginibus.
Hic Virtutis habes παραδείγματα *quêis sibi prudens*
Virtuti calcar addere quisq; potest.

* Creati.

S. R.

V. M. Eccl: Belg: Lond:



ENCOMIVM
OPERIS SIMVL ET AVCTORIS.


Vos fulgido splendore virtus inclyta.
Vigorq; mentis entheus,
Terræ marisq; trans & ævi cardines
Locavit inter Sydera;
Quos posteræ gentis pijs in mentibus
Vitæ perennis gloria,
Et sempiterni nominis clarum decus
Vivis sepulchris posuit.
Docti reponit ecce vivâ imagine
HOLLANDII sagacitas,
Laborq; sollers, atq; cura pervigil,
Quibus Vetustatem meram
Oblivij matrem, & novercam pessimam
Rerum omnium, pessum dedit:
Vt quod foveret sola mens, quod traderet
Affectui solum pio
Natura; nunc id ejus igneâ datum
Vi mentis est aspectui:
Ne scilicet vel Lucidis fautoribus
Virtus careret lucida,
Nostri vel esset ulla pars, quin gloriam
Virtutis hujus cerneret.

ALIVD.

NATVRA mundo quæ dedit
Præclara, pulchra, commoda;
Hæc lege donat omnia,
Vt cùm sibi visum foret
Datum (vocassem verius
Depositum) reposceret.
Hæc scilicet nos asperæ
Iniquitas sortis premit,
Vt nostra nobis subdita
Non sint, sed ævo, & tempori,
Oblivioq;, & squallidæ
Morti, tyrannis pessimis.
Hac efferâ durissimæ
Licentiâ legis datâ,
Edax vetustas irruit,
Nos atq; nostra devorat,
Suoq; cogit nos jugo
Obtemperare, & carceri.
Sed non tulit liberrima
HOLLANDII *cervix jugum;*
Generosa quin præcordia
Afflatus impetu novo,
Sibi, suisq;, & Patriæ
Perennitatem vendicat;
Famamq; reddit, & decus,
Quibus vetustas horrida
Densis tenebris gloriam
Omnemq; honorem surpuit.
Quid ergò reddent posteri
HOLLANDIO, *qui perditam*
Majoribus famam dedit,
Ipsosq; priscis posteros
Majoribus donat suis?
Certè quod ille tradidit
Majoribus, gens postera
Debebit illi, scilicet
Famam, decusq; splendidum
Et gloriam, quæ nesciat
Silentij, nec terminos
Agnoscat ullos temporis,
Locive, præter æthera, &
Perennitatis limites,

I. D. SCOTO-BRITANNVS

CARMEN.

IN COMMENDATIONEM LIBRI, AVCTORIS ET SCVLPTORVM.

ILlustres Heroum animæ, quas ignea virtus
Cœlum, & astra super Postuma Fama vehũt:
Vos olim placido excepit BRITTANNIA cælo
Vosq́ tulit pleno SAXONIS ora sinu.
Felices animæ, quarum pia facta supersunt
Pro Patriâ, & nullâ sunt peritura die
Felicesq́ iterum tantarum Encomia Laudum
Vivent, æternùm nec meruere mori,
Pars vestrum innumeros numerat Virtutis acervos
Exuperans priscos dexteritate Duces:
Parsq́ ferox bello, domuit quot viribus hostes,
Marte tot oppositas fregit & arte acies:
Horum vicinos straverunt spicula FRANCOS,
Contremuit belli fulmen & acer IBER;
Servata est horum IVDAEA potentibus armis.
Defensa auxilio & BELGICA terra fuit;
Neptunus madidis timuit turbatus in vndis
Sulcaret salsas cum BRITO fortis aquas.
Attonita & priscis tellus non cognita sæclis
Invisæ stupuit Gentis ob ingenium;
Ipse MAGELLANVS quamvis sua nomina Ponto
Fecerit; in laudes & DRACVS ipse venit:
Nec CANDISCHE tuum nomen Laudesque merentur.
Fluctibus ut iaceant illa sepulta suis.
Pars etiam ingenij statuit monumenta perennis,
Quæ non vna quidem Bibliotheca capit.
Ast horum in tenebris æternà nocte iacerent
Nomina, vicinis vix bene nota suis:
Ni pius HOLLANDVS facunda resolveret ora,

Iret

Iret & assertum ritè decus Patriæ:
Magnaq; venturis narraret gesta parentum,
Magnorum Regum, fortium & arma Ducum:
Et qui victuris scripsissent carmina libris
In quibus & pietas et sophia alma latent:
Et qui pro CHRISTI sprevissent nomine vitam
Cum CHISTO æternum vivere sollicití.
Horum inquam, docto descripsit Codice vitas
HOLLANDUS, Patriæ spes columenque suæ.
Accedunt claro huic PASSEAUS uterq; labori.
MAGDALIS, & facili haud FRATER in acte minor;
HEROUM effigies ducentes ære, periret
Ne decor externi corporis eximius.
Vos igitur MANES tantis gaudete Patronis,
Qui vos ex Orci faucibus eripiunt:
Hos & in Elysijs memores coronate viretis,
Sentiat ut gratos vos bona posteritas.

A. B.

De ijsdem
EPIGRAMMA.

HOLLANDUS proceres describens ritè BRITANNOS,
Exhibet hic Genij dexterioris opus.
Jnteriorem hominem pingens, virtutis alumnos
Protrahit at cæcis providus è tenebris,
ZELANDUS veros fingens in imagine vultus.
Externam monstrat corporis effigiem:
Hæcce typis BATAVA tandem excudentur in urbe.
Acceptum hinc librum anne feres BATAVIS?
Falleris, HOLLANDUM genuit tibi BRITTONA tellus,
Heroum hanc messem quæ quoque terra dedit.

A. B.

CARMEN,

A. G. XYLANDRO OLIM IN SCRIPTORES ANGLICOS BALÆI CONSCRIPTVM, ET NVNC PAVCIS MVTATIS HVIC LIBRO ACCOMMOATVM.

INſula, quam noſtro rapidis Atlanticus orbe
Fluctubus, Europæ dividit Oceanus,
Nobilis Arcadias devexa Britannia ad Arctos,
Vbere telluris, divitijſque potens,
Felix cultura, felix victricibus armis
Paceque laudatis, militiâque viris:
Plurima cum tuleris toto notiſsima mundo,
Vnde tibi meritæ præmia laudis habes,
Nil tamen ingenijs peperiſti pulchrius iſtis
Quorum jam virtus implet utrumque polum
Scilicet Anglorum res & monumenta genuſque
Plurima jam terſus nos docet iſte liber
(Quem pius in Patriam Hollandus, Regique fidelis,
Doctrinâ pollens & pietate ſenex,
Condidit, ut memori meritos tranſmitteret ævo,
Vt famæ gentis conſuleretque ſuæ.)
Nempe ut, quod ſophiæ ſtudio præſtantius, atque
Encyclopædia ſit, nihil orbis habet:
Vt non eſt homini donum divinitus ullum
Nobilius (cum ſint plurima) mente datum:
Sic neque tu potuis re te jactaveris ulla,
Innumeris quanquam ſis cumulata bonis,
Quam tot doctorum, quo feliciſsima partu
Non ulla temere ſis natione minor.

Non

Non iam Pernaſsi rupes, famoſáve Tempe,
Grynæum Græcis invideáſve nemus.
Certè equidem Sophię quicquid penetralia condunt,
Quicquid habent Muſæ, quicquid Apollo docet,
Immo (nam vanis maneant ea nomina Graijs)
Quicquid doctrinæ nomine percipimus,
Quicquid diva ſuo Sapientia continet orbe,
Ad literáſue licet jure referre bonas:
Omne tui ſcriptis demonſtravêre Brytanni,
Semper victuris id docuêre libris.
Qui ſi (nec dubium) præconia ſumma merentur,
A grata digni poſteritate coli:
Quas illis pietas dabit & conſtantia laudes,
Et veræ flagrans relligionis amor?
Quanta fides, caſtáque ea ſpectatiſsima vita,
Notáque honorandis facta voluminibus?
Quæ tantiſque ſubinde malis tentata, tenorem
Inconcuſsa tamen ſeruat aduſque ſuum.
Martiáque accedit virtus, propriumq; Brytannis
Hoc decus, ut cupiant pro patriâ uſque mori.
Hos noſter fido monſtrat ſermone diſertus
Auctor, & enumerat ordine quemque ſuo.
Ergo illum ſemper pietatis fama manebit,
Qua Dominum ſummâ, qua patriamque colit.
Clarorum referet grates celeberrima turba,
Præmia ut exhauſto digna labore ferat.



HENRICVS D. G. VIII' ANGLIÆ, FRAN, ET HIB, REX etc.

Fortibus HENRICVS solitus dare iura BRITANNOS
Fulmen erat Martis, veræ et pietatis alumnus
Vnde armis regnum, populus pietate refulget. AB

HENRICVS.



ENRICVS, ejus nominis Octavus, (prudentissimi Regis *HENRICI septimi* filius) *Angliæ* & *Franciæ* Rex *Hiberniæq;* Dominus, Fidei defensor, &c. patre suo defuncto, regnare cæpit vicesimosecundo Aprilis anno Christi *M.D.IX.* ætatisq; suæ *XXII.*° Monarcha certè invicto animo & plusquã heroico spiritu præditus, in omnibus incæptis et expeditionibus suis, non tam fortis quàm fœlix et fortunatus fuit. Namque in quinto imperij sui anno, Ipse in *Galliam* trajecit prælium commissurus dum ad *Terrovanam* oppidum ipsum obsedit, ubi Imperator *Maximilianus* semper Augustus se ej inter auxilia adjunxit, rubramque crucem Henriciani militis insigne gestans in pectore, sub eo meruit, et demum Oppidum expugnavit, excidit, incendit: et longiùs progressus *Tornacum* Corona cinxit: primoque adventu oppidanis edixit ut sesę dederent, sed ipsis repugnantibus propiùs admovit copias, et tandem primarij Cives una cum oppido in potestatem Regis venerunt. Quo quidem expugnato et satis firmo præsidio ibi relicto in Angliam triumphabundus redijt.

Rex in Galliam proficiscitur. Maximilianus Imperator.

Idem victor in Comitijs Parlamentarijs vicecimo sexto anno regni sui habitis, Papæ primatum, magnamque papatus partem ex Anglia profligavit. Annis 30.mo & 31.mo regni sui Abbatias & alia superstitionum domicilia, sed non nisi consilio cum Cardinale VVolseo & Cromvvello Barone prius communicato partim evertit, & partim ad meliores usus convertit. Anno tricesimo secundo regni sui solemniter renunciatus est Hiberniȩ Rex & non modo in Anglia sed etiam *Dubliniæ* Hibernorum Metropoli, decretum est, ut Rex & ejus successores, non amplius Hiberniæ Domini sed Reges dicerentur & subscriberentur.

Papa exulat ex Anglia. Abbatiæ dejectæ & dißolutæ.

AnnoRegni sui tricesimo sexto, Rex multis Proceribus suis & nobilissimis viris comitatus in Gallias iterum pro- fectus

Rex secunda vice trajecit in Galliam & Boloniam expugnat.

fectus e Regione Bolloniȩ castrametatus est, breviq;tempore oppidum occupavit, & quum ibi Architalassum suum Dominum de Lisle seu Vicarium, reliquisset, in Angliam redijt. Vnde jure dici poterit, victoriam ei in sinum semper devolasse, nec immeritò cognomentum *Invictissimi* obtinuit.

Regiæ Vxoris.

Rex totius vitæ suȩ tempore sex uxores succesivè habuit, 1. *Catharinam* Ferdinandi Regis Hispaniarum filiam: 2. *Annam Bolleniam* Marchionissam Pembrokianam, Thomæ Bollenij Comitis VViltoniæ & Ormondiæ filiam: 3. *Janam Seymor*, Ioannis * Seymori Equitis aurati filiam, & Edovvardi Seymor Comitis Hertfordiensis(& deinceps Ducis Somersettensis)sororē: 4. *Annam Clevensem*, Ducis Clevensis filiam: 5. *Catharinam Haward*, Edmundi Baronis Havverdi filiam & Thomȩ Havvardi Ducis Norfolciȩ neptem: 6. *Catharinam Par*, Baronis Latymeri viduam, & Guilielmi Par Marchionis Northamtoniensis sororem. Aliquot ex prædictis uxoribus summo supplicio ut afficerentur mandavit, sed quā justè nequeo pronuntiare, neq; mihi libet, aut fortasse licet in quæstionē vocare tam illustris Regis justitiā, prout quidam, nimis audacter & petulanter fecerunt; & nonnulli dictitant Ipsum fuisse meliorem Regem quā virum: sed (ut mea fert opinio) fuit cùm bonus Rex tum bonus vir. Quippe, Papæ principatum in Anglia abrogavit, & veram Religionem in hoc Regno constituere incepit: in vitaque sua multa prȩclara charitatis opera dedit. Et inter alia concesit Londinensibus Cœnobium Fraterculorum ut dicunt cœsiatorum in Pȩdo-trophium & ædem sacram ejusdem unà, cum duabus alijs, nempe sancto *Nicolao* & sancto *Ewino* sacris, civitati dedit, ut unam integram *Parochialem Ecclesiam*, cui nomen inditum est *Christi ædes*, conficerent, hȩc inquam ædes a Rege Henrico fundata & annuo reditu ditisimo in perpetuum dotata fuit: Et inter multa alia Regiæ charitatis opera, ille suo Testamento, paulò ante mortem ipsius. Mille marcas aureas (sive circiter sexcentas & quinquaginta

* *Sive de Sancto Mauro.*

Charitatis opera a Rege effecta.

ginta libras Anglicanas) pauperibus distribuit.

Decano & Canonicis, sacelli divo Georgio sacri ad Arcē VVindesoriensem annuos reditus sexcentarū librarum, in æternum legavit, hac cautione & provisione adhibita, ut ibi tredecim pauperes & senectute affecti generosi, pauperum Equitum titulo distinguendi alantur & sustententur, ut eorum singulis in singulos dies præbeantur duodecim denarij, et eorum singulis semel in anno parentur singulæ togæ talares et prolixæ ex albo panno, cum periscede, et divo Georgio aculipicto supra pectus. Eorum autem præsidi (sive prefecto) futuro, conceduntur tres libræ, sex solidi et octo denarij monetæ Anglicanæ in æternum, præter suprà commemoratum stipendium annuum. Quin etiam provisum est, ut annuatim, certis vicibus decem libræ, per modum eleemosynæ, egenis dispensentur et communicentur.

Hic Rex fuit proceræ et magnæ staturæ, facie et vultu Majestatis pleno, prout ista ejus Effigies ad vivum repræsentat. Ingravescente jam ætate sua valde corpulentus et obæsus fuit, fælici ingenio et memoriâ, Musarumque Mæcenas, utpote qui ipse non mediocriter eruditus fuerit: valde munificus, prout tam magnificum Principem decuit. Proinde Ioannes Lelandus ille clarissimus Antiquarius, ejus proculdubio, Regiam benegnitatem expertus, illius Encomium et beneficentiam hoc subsequente Epigrammate palam fecit. *Regis figura et statura.*

Antè suos Phœbus radios ostendere mundo
Desinit, & claras Cynthia pulchra faces:
Antè fluit rapidum tacitis sine piscibus æquor,
Spinifer & nullam sentis habebit avem:
Antè sacra quercus cessabunt spargere ramos,
Floraque sollicita pingere prata manu:
Quàm Rex dive tuum, labatur pectore nostro
Nomen, quod studijs portus & aura meis.

Et idem Lelandus ejus immortalem famam et Gloriam

 perfectam

perfectam habens, illius nunquam morituras Laudes, his proximis versibus cecinit.

Quantum puniceis nova rosetis
Cedunt vere suis rubeta spinis:
Quantum Lilio amenioris horti
Gemmæ omnes alio nitore cedunt:
Quantum cætera punicis decoro
Malis poma quidam rubore cedunt:
Quantum coniferis breves myricæ
Concedunt quoque gloria cupressis:
Quantum stelligero repressa tellus
Cœlo mole sua & nigrore cedit:
Tantum omnes alij, celebritate,
Fama, nomine, gloriaque vera
(Ut mittam ingenij valentioris
Lumen flumina fulmen atque vires
Rari judicij tui perennes)
Concedunt tibi Principes sereni,
HENRICE, *ô patriæ tuæ columna*
Talis, qualis erat celibris illa
Olim quam extulit Henricus *triumphans.*

Regnavit ferè triginta octo annos, & cùm ægrotasset, Testamento condito & mandatis Familiæ datis, obitus est VVestmonasterij, anno Christi *M. D. XL. VJ.* vixisset autem supra annos *LV.* menses *VII.* Corpus ejus, quemadmodum ipse morti jam vicinus petijt, sepultum est VVindesoræ in Collegio, prope amplissimo & verè Regio Monumento, quod Cardinalis VVolseus inchoarat quidem, sed nunquam perfecit.

Morte sic Regnum finijt Henricus Rex, propter prima administrationis tempora illustre, propter victorias crebas & res in bello feliciter gestas gloriosum, propter magnas sub eo mutationes factas memorabile, propter Ecclesiæ sub eo cœptam reformationem laudabile: attamen verò (veritatem non occultare) propter uxoriam rem infelicissimum,

ſimum, denique propter creba tributa Reipub. nonnihil damnoſum, civibusque grave ac oneroſum.

De hoc nobiliſsimo & potentiſsimo Monarcha, hanc threnodiam invenio, quæ ſane vice Epitaphij & Epicedij eſſe poterit.

HENRICUS *Princeps propè luſtra peregerat octo,*
Et populum magna prudens cum laude regebat,
Ex quo magna ſole tractavit ſceptra Britanni:
Cùm Deus omnipotens, morbo obrepente, moneret
Hinc emigrandum de vita. Proh dolor ingens!
Quot pia plebs Lachrymis quàm triſtibus ora rigavit?
Quà graviter Regni proceres planxere cubantem?
Anglia tota jacet mœrens, lugubris & amens, &
Nil opis adportant Medici, nil profuit herba,
Quæ ſolet humanis membris adferre ſalutem,
Pharmaca nil proſunt, prœbetur potio fruſtra:
Heu nulla triſtis mors eſt medicabilis arte.

SCRIPSIT HENRICVS REX.

AD Leonem Pontificem ejus nominis X. Aſſertionum Sacramentorum lib. I.

Ad Epiſtolam Lutheri lib. I.

De Chriſtiani hominis inſtitutione lib. I.

De inſtituenda pube lib. I.

Sententiam de Mantuano Concilio lib. I.

De juſto in Scotos bello lib. I.

Ad Duces Saxoniæ Eraſmum Roterodamum & alios magni nominis viros Epiſtolas didiſertiſsimas.



THOMAS CROMWELLVS

Fortunæ speculum CROMWELLVS scandit ad alta
Ut casu grauiore ruat, Regisque fauore
Tollitur hinc que cadit liuore oppressus inique

THOMAS CROMWELLVS.



HOMAS GROMVVELLVS, utcunq; non ita claro genere nobilibusque parentibus ortus, tamen acri & excellenti ingenio prę-ditus atque adeo eximijs virtutibus ornatus, operam in juventute dedit & inservijt Cardinali *Wolseo*, cui valdè charus & acceptus fuit. Postea strenuum Athletam se gessit, in Christi Euangelio promovendo & propagando, quod tunc temporis, cœpit in Anglia pullulare & vires acquirere. Quo nomine Rex Henricus octavus eum præcipua gratiâ dignatus ipsius imprimis opera primùm in Papæ tyrannide abolendâ , & post in Monasterijs demoliendis usus est, quibus in domicilijs manifestò apparuit , tam nefaria & horrenda flagitia fuisse commissa, ut ea vel semel quidem nominare salvo pudore nequeam Prima dignitas quam in eum Rex contulit fuit Baronia de *Okeham* in agro Rutlandiensi, anno 1536. Secundò eum equitem auratum Ordinis scilicet *Georgiani* , Rotulorum præfectum, Privati Sigilli Custodem Secretarium postea summum fecit: præterea eum illustri Comitis Essexij titulo exornavit anno 1539. Et Rex eum his ornamentis decorare non contentus, illum magnum *Angliæ Camerarium*, Ecclesiastici Ordinis Præsidem, Vicarium suum generalem, & unum ex intimis suis Consiliarijs constituit. Cæterùm quià tantopere autoritate & gratia apud Regem valuit, tantam sibi invidiam apud reliquos tam Magnates quam Præsules Pontificios conflavit ut multa crimina ei intentare non erubuerint, nec destiterint, et accusandi insectandique finem non fecerunt priusquam eum condemnassent.


Ecce rerum humanarum fragilitatem : Iste, cujus felicitatem omnes admirabantur, plurimi invisam habebant, quod ab infimo loco ad honorum summorum apicem in paucorum annorum curriculo conscendiscet : subitò, et nihil minus expectans, in ipsorum Regiorum Consiliari-

orum concessu comprehenditur, atque in Carcerem conjicitur, unde nunquam donec ad ultimum supplicium subeundum, emissus est. Nam in Parliamento jam Aprilis *XII.*° convocato, Majestatis Læsæ simul ac Hereseôs accusatus, at lata lege inaudita damnatus est: tumque postquam comprehensus fuerat nondum *XX.* die transacto, securi publicè percussus, nempe *XXVIII.*° Iulij, anno 1540. regnantisque Henrici Octavi *XXXII*°.

Si quis velit plura de vita hujus spectatissimi Domini Cromvvelli cognoscere, inspiciat & evolvat Martyrologium Ioannis Foxi, in quo tota vitæ suæ ratio splendidè copiosèque describitur.

THO-





THOMAS MORVS QVONDAM SVPREMVS
TOTIVS ANGLIÆ CANCELLARIVS DIGNISS,

Hic est ille THOMAS plebis de puluere magnus,
Qui tulit incanum principis ira caput. AB

THOMAS MORVS.



HOMAS MORVS, quem Religionis gratiâ inter nostras *Effigies* non numero (etenim ille, Circæo scorti Babylonici poculo exhausto, deperijt meretricem illam inque porcum conversus est, & hinc oppugnavit potiùs quam propugnavit Euangelium) propter admirandam doctrinam & divinum ingenium suis coætaneis nequaquam cessit, sed illos omnes facilè antecelluit. Vnde ad multos annos Regi *Henrico octavo* plurimùm acceptus fuit: qui eum primò Equitis aurati dignitate insignivit, & post alios collatos honores etiam in sacrum suum Senatum cooptavit, summumque adeo totius *Angliæ Cancellarium* constituit: qua dignitate perdiu potitus est, sed aliquibus causis impulsus, eam sua sponte reliquit. Quo quidem tempore complures preclaros libros & subtiles tractatus conscripsit, sed inter omnes *Utopia* ejus facilè excellit, ejusque summum ingenium maximè demonstrat. Summa & intima familiaritas cùm literis tum alijs vijs modisque inter eum & magnum illum *ERASMUM* Roterodamũ intervenit.

Sed ementitâ illâ Papæ authoritate ab *Henrico Rege* jam abolitâ *Morus* hic noster tam ob Regium jus & primatum ab eo abnegatum quam alijs justis de causis in judicium vocatur, & damatum pœnam sequi oportuit ut securi percuteretur. Hoc autem in loco prætermittere nequeo illud Epigramma quod de eo tum in vinculis invenio;

Quid de se fieret, meditans in carcere Morus,
Inspicit Urinam, Nil ibi triste videt.
Urinam Regis potius lustrasset; in illa
Vidisset mortis turbida signa suæ.

In feriali autem Scæna constitutus constanter & alacriter mori visus est, caputque super Truncum depositurus;

ſiturus ; Carnificem eum veniam poſcenti , reſpondit ſe hac lege illi condonaturum , dummodò ſibi a Barba ipſius amputanda caveret;(quamvis enim dum vixit plerunque deraſus eſſet et imberbis, prout ex ejus Effige videre eſt , videtur tamen in ſeniori ætate ſe pulchram et prolixam barbam nutriviſſe) qui jocandi lepos, utcunque ſolitum ejus morem et acumem ingenij declaravit, nihilominus in morituro magnam reprehenſionem meruit. Hoc pro explorato ſcio quod Martyrum Euangelicæ profeſſionis ergò morientium noviſsima verba religionem et ſanctitatem multò magis ſpirârunt, quod ex vitarum ſuarum inſequente curriculo facilè apparebit , Gloria igitur ſive juſtitiæ, ſive Miſericordiæ divinæ, in morte et obitu tam veritati inimicorum quam ei faventium aliquo modo elucebit. Et de noſtro *Moro* quaſi μὴ ὅρον ἔχοντος ſatis Obtruncatus eſt in editiore planitie ſive area ſub Turri Londinenſi anno 1535. annoque Regis *Henrici octavi* viceſimo ſeptimo. Conditus jacet in Eccleſia *Chelſejenſe* propè Londinum, et Epitaphium habet, ut ſequitur:

EPITAPHIVM

THOMÆ MORI quod paulò poſt abdicatum munus Cancellarij ipſe ſibi compoſuit, & ſepulchro ſuo affixit.

THomas Morus, urbe Londinenſi, familia non celebri, ſed honeſta natus, in literis utcunque verſatus, quum ut cauſſas aliquot juvenis egiſſet in foro, et in urbe, ſuo pro Shyrevo jus dixiſſet, ab invictiſs°. Rege Henrico *VIII°*. (cui uni Regum omnium gloria prius inaudita contigit, et fidei defenſor, qualem et gladio ſe et calamo verè præſtitit, meritò vocaretur) adſcitus in aulam eſt, delectusque in Concilium , et creatus Eques , Proquæſtor primum , poſt Cancellarius Lancaſtriæ , tandem Angliæ miro Principis favore factus eſt. Sed interim

interim in publico Regni Senatu lectus est orator populi, præterea Legatus Regis nonnunquam fuit, aliàs alibi; postremò verò Cameraci, Comes et collega junctus Principi Legationis Cuthberto Tonstallo, tum Londinensi, mox Dunelmensi Episcopo; quo viro vix habet orbis hodie quicquam eruditius, prudentius, melius. Ibi inter summos Christiani Orbis Monarchas rursus refecta fædera, redditamque mundo diu desideratam pacem, et lætissimus vidit, et Legatus interfuit.

Quam superi pacem firment, faxintque perennem.

In hoc officiorum vel honorum cursu quum ita versaretur, ut neque Princeps optimus operam ejus improbaret, neque nobilibus esset invisus, neque injucundus populo; furibus autem, homicidis, hæreticisque molestus: Pater ejus tandem Ioannes Morus Eques, et in eum Iudicum ordinem à Principe cooptatus, qui Regius consessus vocatur; homo civilis, innocens, mitis, misericors, æquus et integer, annis quidem gravis, sed corpore plus quam pro ætate vivido, postquam eò productam sibi vidit vitam, ut filium videret Angliæ Cancellarium, satis in terra jam se moratum ratus, lubens migravit in Cœlum. At filius, defuncto patre, cui, quamdiu supererat, comparatus, et juvenis vocari consueverat, et ipse quoque sibi videbatur, amissum jam patrem requirens, et editos ex se liberos *IV*. ac nepotes *XI*. respiciens, cæpit apud animum persenescere. Auxit hunc affectum animi subsequuta statim velut adpetentis senij signum, pectoris valetudo deterior. Itaque mortalium harum rerum satur, quam rem à puero semper optaverat, ut ultimos aliquot vitæ suæ annos obtineret liberos, quibus hujus vitæ negotijs paulatim se subducens, futuram posset immortalitatem meditari, eam rem tandem (si cœptis annuat Deus) indulgentissimi principis incomparabili beneficio resignatis honoribus impetravit, atque hoc sepulchrum sibi, quod mortis eum nunquam cessantis adrepere quotidie commone-

monefaceret, tranſlatis huc prioris uxoris oſsibus, extruendum curavit. Quod ne ſuperſtes fruſtra ſibi fecerit, néve ingruentem trepidus horreat, ſed deſiderio Chriſti lubens oppetat, mortemque ut ſibi non omnino mortem, ſed januam vitæ felicioris inveniat, precibus eum, Lector optimè, ſpirantem, precor, defunctumque proſequere;

Pro uxoribus ſuis,

Chara Thomæ jacet, &c.

Sub quo hæc quoque ſubjuncta Carmina occurrunt:

Chara Thomæ jacet hic Joanna uxorcula Mori,
Qui tumulum Aliciæ, hunc deſtino quique mihi.
Una mihi dedit hoc conjuncta virentibus annis,
Me vocet ut puer & trina puella patrem.
Altera privignis (quæ gloria rara novercæ eſt)
Tam pia quam gnatis vix fuit ulla ſuis.
Altera ſic mecum vixit ſic altera vivit,
Charior incertum eſt, hæc ſit an hæc fuerit.
O ſimul o juncti poteramus vivere nos tres,
Quam bene ſi factum religioque ſinant.
Et ſociet tumulus, ſociet nos obſecro cœlum,
Sic Mors non potuit quod dare vita dabit.

DE THOMA MORO ANGLIÆ OLIM CANCELLARIO
Ad Thomam Baronem de Elleſmer Angliæ Cancellarium ſapientiſs:

Integritas morum Morum *commendat, & ardor*
Ingenij, & docto dulcis in ore decor.
Te quoque Cor Sapiens, Gravitas, & Gratia vultus
Eximitè populo, conſpicuumque facit:
Totius Integritas vitæ ſine labe peractæ
Te Moro *æqualem moribus eſſe probat.*
Excipias Mori *caſûs, & flebile fatum,*
Et cauſam mortis; cætera Morus eris.

SCRIPSIT MORVS.

Vtopiam

Luciani Dialogos aliquot transtulit.

In Declamationes Luciani.

Epigrammata, quorum plurima versa sunt ex Græcis.

Progymnasmata Græca.

Comœdias.

Dialogos familiares.

Declamationes.

Pro Erasmo aduersus fratrem lib. 1.

De optimo Reipub statu.

Et alios.

THO-





THOMAS WOLSÆVS CARD.

Fortunæ variantis opus VOLSÆVS ad alta
Scandit iter dubium, certâ minitante ruinâ

THOMAS WOLSEIVS.



HOMAS VVOLSEIVS, *Ipswici* in *Suffolcia* natus, cùm humilibus Parentibus ortus esset, nihilominus admodum Adolescens missus est *Oxoniam*, & literis in Collegio Magdalensi expolitus est, ubi Scholæ grammaticæ ad idem Collegium ad jacentis & pertinentis Magister factus est: & postea à *Marchione Dorsettiæ*, cujus filios Oxoniæ docuerat, ornatus fuit sacerdotio in Provincia Somersettensi: Cæterùm, Marchione illius Mœcenate demortuo, *Wolseus* fuit Ioanni *Naphanto* equiti aurato & magnæ auctoritatis viro Capellanus; qui sui Capellani precibus inductus effecit ut Regis *Henrici septimi* Sacellanus designaretur. Et jam (ut erat vir ambitiosus) optatum sibi locum adeptus in Aula Regia, quæ primus est Scalæ ad honores gradus versabatur. Enimverò fuit excellentissimo ingenio, magnopere eruditus, blandus, affabilis, & in eorum, quorum benevolentiam maximè appetebat, animis sibi conciliandis callidissimus: Et hoc modo in gratiam amicitiamque Henrici Regis se inseruit, qui statim eum in re magni momenti ad Imperatorem semper Augustum in Belgio commorantem, ablegavit: quo *Wolseus* tam festinanter contendit, ut intra quatriduum post missionem suam (vento Cœloque faventibus, res non minus admiranda quã memoranda) Regis negotio ex animi sententia confecto, ad Aulam rediret. Vnde Rex ad Decanatnm *Lincolniensem* eum promovit, & morti vicinus, sibi ab Eleemosynis eum esse voluit: Atqui, illo Prudente Principe ablato, *Wolseus* tam celeriter & tam peniùs se in gratiam novi Regis Henrici octtavi insinuavit, ut illum in numerum intimorum Consiliariorum cooptaret, & res ei integras penè deferret committeretq;: VVolseus autem auctor fuit Regi, ut posthabitis rebus Consilio definiendis, suis ipse obsequeritur voluptatibus, ei persuadens se intra unicum horulæ nocturnæ quadrantem, res

in

in Senatu geſtas tam plene relaturum, ac ſi ipſe per totum diem tam prolixis conſultationibus interfuiſſet, hisque artibus Regis cupiditati inſigniter morem geſsit.

Hinc Rex eum Epiſcopum *Tornacencem in Gallijs*, mox Epiſcopum *Lincolnienſem* ; & exigui temporis intervallo Archiepiſcopum *Eboracenſem* fecit : deinde a Papa obtinuit *Wolſeus* ut ei *Legatus à Latere* eſſet, ac non ita multò poſt, anno 1515. ad ipſum Cardinalatum aſcenderet. Poſtea vero, ita egit cum Rege, ut eum *Angliæ* magnum *Cancellarium* conſtitueret. Sed omnibus his honoribus & ornamentis minimè contentus, Epiſcopatum *Bathonienſis* Eccleſiæ aſſecutus eſt: illam vero dignitatem mox depoſuit ut *Dunelmenſis* Epiſcopus conſtitueretur, ſed permutatione facta cum hoc etiam Epiſcopatu ſeſe abdicaſſet *Wintonienſem* ſuſcepit. Iam ad altiſsimum dignitatis ſuæ gradum pervenit, anno 1529. cumque ita in præcipiti ſtaret ut altius attolli ei non daretur; ſcala nutare cæpit, & inter cadendum mortuus eſt *Wolſeus*. Quippe, Rex, nonnulla offenſione concepta, eum Cancellariatu exuit : Tum verò Cardinali noſtro objectum eſt quod in (*Præmunire*) ſeu bonorum confiſcationem inciderat, omneſque ejus opes & facultates (quæ erant inæſtimabiles) jam occupatæ in Regis poteſtatem venerunt. Ac de repente, omnibus illis maximis honoribus & fortunis ſpoliatus, eò res redijt ut ſine re, ſine ſpe, oberrare coactus ſit, adeo ut ne Lectum quidem in quo dormiret, niſi mutuatitium habuerit. Deinceps in Provinciam *Eboracenſem* amandatus eſt : ubi, non diu commoratum, Comes *Northumbrius* eum *Læſæ Majeſtatis* reum apprehendit, & Londinum deportandum curavit; At *Leiceſtriæ*, in ipſo itinere morbum contraxit ; & in Lecto decumbens, morteque ingruente, reſipiſcentis ritu hæc verba habuit: *Si Deum tam diligenter coluiſſem quam Regem colui, me in cana ſenectute non dereliquiſſet, &c.* Vnde, anno 1530. *XXIX*°. Novembris cùm eſſet ſexagenarius in Leiceſtrienſi Abbatia expiravit, ubi ſepultus eſt; Vtrum vero Romano-Catholicus obijt an ſe-

cus, nondum constat. Vtcunq; non sit Lectori aut Inspectori molestum, quod istum Cardinalem inter Heroas refero: nam id sanè facio, non religionis ipsius nomine, sed propter alias eximij ingenij, eruditionis, eloquentiæ, &c. dotes. Preterea tam promptum adjutorem seipsum Regi in supprimendis Monasterijs præbuit, ut *Onuphrius Panunius* Episcopus Veronensis, eum, *fæcem & scandalum generis humani, denominet*; & ut dicitur, à Papa excommunicatus ultimum diem suum clausit. Fuit quidem ambitionis œstro mirabiliter percitus, at vero regaliter munificus. Dum fortuna favit, duo magnificentissima & vereRegia Collegia inchoavit, alterum *Ipswici* ubi in Lucem editus, alterum verò *Oxoniæ* ubi innutritus est: *Windesoræ* etiam tumulum splendidissimum & admiratione dignissimũ in Regis Henrici Octavi tempore cœpit; Sed (quod dolẽdum est) ejus occasus, eorum perfectionẽ impedijt. Quæ, si ad fastigium perducta fuissent, inter tria *mundi miracula* dinumerari potuissent. Et minimè mirum videri debet, qnòd tanta opera aggressus est, quorum unum consummasse Principi satis est, quum ejus reditus & proventus annui fuerint infiniti: & (prout doctum nostræ ætatis Theologum auctorem habemus) ejus *vectigalia & annui*, omnes omnium Episcopatuum & Decanatuum Anglivorum fructus facilè excederent. Huc addatur etiam quod Aulam Hamptoniensem, unam è prœclarissimis domibus Regijs, & Palatium Regium VVestmonasterij, *Whitehall* dictum ædificavit & perfecit:

Onuphr. in Epit. Rom. Pontif.

Thomæ Wolseij Cardinalis

Ego & Rex meus.

Dicere Grammatices ratio permittit, Ego et Rex
Ethica te jubet ars dicere, Rex et Ego.
Hæc est nimirum vivendi ars, illa loquendi:
Principis hæc Aulæ serviat, illa Scholæ.

REGI-



REGNALDVS POLVS

Principis e stirpe et magni cognominis hæres
Exul, amat patrios ROMÆ mutare penates.

REGINALDVS POLVS.



EGINALDVS POLVS, filius Richardi *Poli* equitis aurati, (hic autem fuit *Henrici* ſeptimi conſobrinus) & *Margaritæ* comitiſſæ *Saliſburienſis*, filiæ *Georgij* Ducis *Clarentiæ*, ſecundi fratris Regis *Edwardi* quarti; primam habuit inſtitutionem *Oxoniæ* in Collegio Magdalenæ ſacro, & ætate tenellus, in tranſmarinas regiones, experientiæ & notitiæ cauſâ, peregrinationem ſuſcepit. Rex *Henricus* octavus eum, ut qui ipſum ex paterno & materno genere, arcta propinquitate attingeret, non vulgari ſtudio eſt complexus; & ante obitum ſuum, Decanatum Exonienſem in eum contulit.

Maximam ſui temporis partem in *Jtalia* conſumſit: primò *paduæ* ſeptennium plus minus, ubi neceſsitudinem habuit cum *Petro Bembo* Scriba ſummi Pontificis primario, qui eum tantopere Domino ſuo commendavit, ut anno 1538. illum cardinalitia dignitate exornaret. Et deinde, Papa eum ſæpiuſculè ad Imperatorem ſemper Auguſtum & Galliarum *Regem* ablegavit. Silentio prætereo, quid perfidè geſſerit adverſus *Henricum Regem* ſuum, propterea quòd in animo habeo, ea ſolummodò deſcribere quæ in eo recta & laudabilia extiterunt. Enimverò quamvis fuerit Cardinalis, et Romanæ Eccleſiæ adminiſter, tamen ſplendor nobilitatis ſuæ, multis clariſsimis virtutibus eſt comitatus. Quippe, conſtat eum non modò doctrinâ, verum etiam modeſtiâ et morum integritate uſque adeo præcelluiſſe, ut fuerit apud omnes ordines gratioſus, et omnes eum colerent et obſervarent. Neque fuit elato, ſed demiſſo animo, quæ ejus modeſtia in hoc innotuit, quod defuncto Paulo tertio, papatum ei oblatum reſpueret.

Et liceat mihi vobis ſubindicare, quòd *Cardinalis Caraffa* et alij, eum criminati ſint quaſi qui in ipſorum Religione parum eſſet orthodoxus, quod hæreticas opiniones teneret de juſtificatione ex fide ſolùm: quod *Antonium*

Flami-

Flamniium notum Euangelij Professorem diligeret eveheretq; quod Hæreticos languidè persequeretur, & multa alia hujus generis ei objiciebantur. Age verò: Hic noster Cardinalis,non solùm recusavit papatum, & dixit esse onus suis viribus majus,sed etiam ejus vice alio Pontifice electo, affirmavit nihil sibi fuisse prius et antiquius, quam vitam suam in quieta contemplatione traducere: Hinc secesit in Monasterium intra Territorium *Veronense* Monachis completisimum,quorum Patronus existiinabatur : Sed priusquam ibi confirmatus resideret, nuntiatum est ex Anglia, Regem Edovvardum vitam cum morte commutasse, & ad *Mariam* Diadema fuisse devolutum, quam novit sibi optimè cupere. Discedendi veniam à Papa facilè obtinuit, & eò rem redegit, ut esset Pontifici Legatus à latere, & hac de causâ, missus est in *Augliam*, ibique ut primum venerat, & Regnum Papæ reconciliârat, *Angliæ Restaurator* dictus est, tum præstantisimus Archiepiscopus *Cranmerus* fuit loco suo dimotus,& anno 1555. Cardinalis in ejus locum ascitus suffectusque: sed Cardinalis *Caraffa* ad Papatum Provectus & *Pius quartus* denominatus,eum Legati potestate abdicavit. Huic sedi tres ferè annos præfuit, donec tandem incideret in morbum & postquam renuntiatum ei est de obitu *Reginæ Mariæ* illicò animam efflavit, ipso nempe die,quo obijt Regina,17.°Novembris,anno Christi 1558.quum esset(plùs minùs)quinqnaginta octo annos natus, & in Ecclesia Cantuariensi contumulatns jacet in Capella S. Thomæ, hoc tantum Elogio brevi, Epitaphij vice adscripto, DEPOSITVM CARDINALIS POLI.

Ad Spectatorem & Lectorem.

At de nostrate Cardinali sat multa, si non nimis multa dixi,propterea quòd fuerit multis nominibus veræ Religioni inimicus, nihilominus pluribus alijs de causis suprà commemoratis arbitror mihi fas esse absq; tantilla offensione POLVM Boni Cardinalis appellatione insignire.

Idcircò

Idcircò illi inter cæteros locum aſsignavi : & minùs obſervato temporis ordine eum hic collocavi propterea quod meliùs cohæret cum ſocijs ſuis Cardinale VVolſeo & Thoma Moro equite, omnes ſunt ejuſdem farinæ, & fuerunt in eodem ludo edocti ad malitiam, quam concordat cum ſanctis Martyribus qui Euangelij cauſa ſanguinem ſuum profuderunt.

THOMÆ VVOLSEII ET REGINALDI POLI CARDINAL: ANGL: COMPARATIO.

Lis erat an majus Polus an Wolſeus uterq;,
Magnus Cardinei ſplendor uterq; chori:
Tempora purpureo redimitus uterq; Galero.
Jnſula cum Lauro cinxit utriq; comam.
Auſoniâ triplici cingendus uterq; Tiarâ
Si ſuus ex merito quemq; maneret honos:
Hinc cumulus Wolſeus opum; Polus inde Parentes,
Hic Proavûm laudes jactat & ille ſuas:
Alter Romanos, patrios habet alter honores,
Jngenio Wolſæus major at arte Polus.

SCRIPSIT POLVS.

DE Concilio & de reformatione Angliæ. lib. 2.

De ſummo Pontifi[illegible]n modum diglogi.

Epiſtolæ quinque, in volumine Epiſtolarum clarorum virorum.

Pro Eccleſiaſticæ unitatis defenſione. lib. 4.

EDO-



EDVARDVS SEXTVS REX.

Delitium populi. et veræ pietatis alumnus.
Vt bona cuncta. diu viuere non licuit

EDOVARDVS.



DOVARDVS ejus nominis ſextus, (unicus potentiſsimi & invictiſsimi Regis *Henrici octavi* filius, ex Domina *Iana* *Seimor ſuſceptus) *Angliæ Franciæ* & *Hiberniæ* Rex, Defenſor fidei &c. Patre ipſius defuncto, regnare cœpit viceſimo octavo Ianuarij anno Domini *M. D. ILVI.* novem annos, plus minus natus: ſuaviſsimus, mitiſsimus & ſummæ ſpei Princeps.

** Sive de S.to Mauro.*

Hic in teneris annis impulſu Avunculi ſui Edovardi Seimori Domini Protectoris (poſtea Ducis Somerſettenſis) imprimis veram Religionem Deiqne gloriam provehere conatus (cujus fundamenta ejus beatiſsimæ memoriæ Pater jecerat) idololatrica ſimulchra demolienda et ex omnibus Regni ſui Eccleſijs tollenda curavit: Viri præſtantes eruditione in mandatis habebant ut Chriſti Euangelium annunciarent, et Cœna dominica in utraque ſpecie fuit populo diſtributa; jamque glorioſa Eccleſiæ et Reipub. inſtauratio in omnibus ipſius ditionibus inchoata eſt.

Euangelium promotum. Et ſimulachra ex Eccleſijs ejecta.

Circa tertium regni ſui annum, ex decreto Parliamentario Miſſale fuit abolitum, et Ritualis Liber de uniformitate communium precum, et de adminiſtrandorum Sacramentorum ratione, editus auctoritateque confirmatus eſt.

Miſſa abrogata.

In quarto ſui regni anno, quidam motus excitati ſunt & homines rebelles inſurrexerunt in provinc. *Somerſettenſi*, *Devonienſi* & *Cornubia*, & præ ſe tulerunt interſeptorum intercluſorumque Agrorum refractionem. Interea Loci Galliarum Rex molitus eſt ab *Anglis* recipere *Bolloniam* aliaque oppida in eo tractu, et eadē operâ ſtatuit Inſulas *Gernſeiam* et *Ferſeiam* occupare, ſed irrito conatu: tandemqne domeſticę ſeditiones ſunt compoſitæ. Eodem anno multi è magnatibus male animati, conſilium contra Dominum Protectorem inierunt, et a malitioſis querelis

Conſpiratio adverſus D. Protectorem.

querelis & calumnijs non destiterunt usque dũ omnibus rebus ornatissimum Ducem, reum peregissent de collâssentque. Ille inquam detruncatus est, qui meritissimò gratia & auctoritate apud Regem Henricum octavum valuit, quique (propter ipsius sapientiam & humanissimos mores) summè gratiosus fuerat, cujus immatura mors non minorem luctum optimo cuique attulit: Sed de hoc eximio Duce satis superque. *D.Protector Laudatur.*

Hunc Regem Cives & subditi singularibus studijs sunt prosequuti; Quippe qui, natura & ingenio mitis clemensque fuerit, et cui hominum vita et salus fuit commendatissima: Huic ingenij celeritas, censuræ gravitas et judicij maturitas, minimè defuerunt, (quæ in tam tenellis annis prorsus admirabilia) defuerunt. Religio ei a prima infantia in delicijs fuit: In liberalibus scientijs peritiâ tantâ fuit, (ut alias illius præstantes virtutes silentio prætercam) ut videretur innata potius quam studio et industria acquisita. Vnum autem in eo fuit (ut auctorẽ habemus FOXVM nostrum) perrarum et magnopere admirabile: Omnes Portus & Sinus non modo *Anglicos* verum etiam *Scoticos* & *Gallicos* enumerare potuit, &c. Latinam, Græcam, Gallicam, Italicam & Hispanicam linguam perfectè calluit. Nec, ut Cardanus perhibet, fuit inscius aut ignarus Dialecticæ & principiorum Physices, nec hospes in Musicis, Nam ut quidam scripsit, ut quæ scitè ac jucundè caneret psalleretque. Cum Rogero Aschamo qui ejus studijs admotus, Locos communes Melanthonis, integrum Ciceronem, magnam partem Historianum Livij, selectas Isocratis Orationes (quarum duas in latinum convertit) Sophoclis Tragædias, Novumq; Testamentũ græcè legit, è quibus linguam purissima dictione, & mentẽ aptissima præceptione instruxit, bonisque literis non ad pompã, sed ad vitã & virtutem usus est in quibus ita fuit assiduus, ut ad miraculũ usq; fuerit inter sui seculi Principes eruditus. Et (ut cõprehendã brevi) tantâ fuit indole in quibusvis heroicis virtutibus, insignibus animi dotibus & ornamentis, ut in ipsa pueritia & adolescentia, omnes antecessores

Rex Laudat. *Regis Animi dotes & eruditio.* *Io:Foxus.* *Hieronymus Cardanus.*

ſores ſuos facilè ſuperaret.

Morbi gens. Sexto anno Regni ſui ægrotare cæpit, menſe Ianuarij, & tabe ſive Phtiſi tentari cæptus eſt, et poſt aliquot menſes ſeipſum indies debilitari ſentiens, omnibus rebus in Regno ſuo rectè compoſitis, animum et manus levavit, fixiſque oculis ſuſuſpexit in Cœlum, et hanc compendioſam zeloque plenam precationem ſequentem nuncupavit, quam non poſſum non recitare.

Regis Precatio. *Domine Deus, libera me ex iſta miſera & ærumnoſâ vitâ, & inter electos tuos recipe, nihilominus non mea ſed tua voluntas fiat. Domine, in manus tuas commendo Spiritum meum, noſti Domine quam feliciter mecum ageretur, ſi tecũ verſarer, tamen propter electos tuos, ſi tibi complaceat, me ſana & vitam meam protrahe, ut te verè colam. O Iehovâ Deus, benedic populo tuo & ſerva hereditatem tuam Domine, ſalutem da populo Anglicano & a Papiſmo gentem defende, & tuam ſynceram Religionem tuere, ut ego & Cives mei veris laudibus nomen tuum afficiamus: & ſubjunxit, Langueo, miſerere mei Deus, & recipe Spiritum meum.*

R. ætas & obitus. Atque hoc modo, ex iſta vita deceſsit (non ſine ſuſpicione veneni) ſexto die Iulij, ſeptimo anno Regni ſui, ætatis ſuæ decimo ſexto Anno Chriſti 1653. requieſcit ſepultuſq; jacet juxta caput Avi ſui Regis Henrici ſeptimi in ejus Sacrario VVeſtmonaſterienſi ſub Altari ex ære deaurato & artificiosè elaborato. At obijt non ſine veneni ſuſpicione, nam ſparſo ubique apud vulgus rumore, quaſi in Calend: Ianuarij, Regi a quo neſcio, pro ſtrena Novi Anni oblato florum odoratorum faſciculo venenum infuſum fuiſſet, ex cujus odoramento pulmones vitium mortiferum ac lethale contraxiſſent: De tanto ſiquidem facinore nunquam poſtea inquiſitum eſt, id quod nullo modo Maria ſoror facere neglexiſſet, ſi vel minimè ſuſpicandi occaſionem nacta fuiſſet.

Opera charitatis. Vltimo Regni ſui Anno, dedit Prætori, Communitati & Civibus Londinenſſ: Regiam ſuam Bridevvel dictam ut foret Ergaſtulum & Domus correctionis egenis,

nis, vagis & otiosis urbis hominibus, amplisq; reditibus in perpetuum hanc domum ditavit. Publicum etiã Divi Thomæ Hospitium in Australi urbis opere vel parte situm, vulgo *Southwarck*, de integro restituit et annuo ornatum, prædictæ Civitati & Civibus concescit. Hoc anno Cœnobium Franciscanorum Londini in Pædotrophium nobilissimum conversum est, ubi nempe egeni pueri 400. jam inde ab eo tempore alimenta percipiunt, et educationem liberis hominibus dignam sortiuntur: Hospitium *CHRISTI* id hodie appellatur.

In cujus obitum hoc sequens Epitaphium ab Hieronymo Cardano exaratum invenio.

Flete nefas magnum, sed toto flebitis orbe
Mortales: vester corruit omnis honor.
Nam Regum decus: Juvenum flos, spesq; bonorum,
Delitiæ secli, & gloria gentis erat.
Dignus Apollonijs lachrimis doctæq; Minervæ
Flosculus heu misero concidit ante diem.
Te tumulo dabimus Musæ supræmaq; flentes
Munera Melpomene tristia fata canunt.

SCRIPSIT EDVARDVS REX.

Comœdiam elegantissimam de Meretrice Babylonica. Lib. 1.
Ex auditis Concionibus. Lib. 1.





Regia nec virtus, nec stirps te regia, Princeps
Eripere inuidiae potuerunt fraudibus unquam
Nempe bonos sors praua premit, seruatque malignos

Æ B lud.

EDOVARDVS SEIMORVS.



DOVARDVS SEIMORVS ſive de Sancto Mauro (filius clariſsmi Ioannis Seimori Equitis Aurati) primùm ab Henrico VIII. Rege qui ejus ſororem Ianam, virtute illuſtrem Heroidem in uxorem ſumpſit, fuit Equeſtri dignitate inſignitus, deinde creatus eſt Vicecomes Beauchamp ſeu de Bello-campo Anno D.ni 1536. & anno ſequente Comitatus Hertfordenſis fuit in eum collatus, (qui comitatus ad multos annos fuit intermiſſus et interquievit, ab ipſius Gilberti de Clara Comitis Glroceſtrenſis et Hertfordenſis tempore) poſtea ab eodem Rege factus eſt Eques nobilſsimi Georgiani Ordinis aureæ Periſcelidis, ſupremus Angliæ Camerarius, unuſque ex intimis Conſiliarijs Regijs, & apud illum præpotentem Regem imprimis fuit gratioſus, qui poſtremò eum ſcripſit inſtituitque unum è ſedecim ipſius ultimæ Voluntatis & Teſtamenti Executoribus.

Deinceps Edouardus Princeps (ejus nepos ex ſorore Iana) Regali corona inſignitus, creavit eum primò Baronem de Sancto Mauro & deinde Ducem Somerſetenſem: Huc accèdit quod (cùm eſſet hujus Regis adoleſcentuli avunculus) generali Regis, Conſiliariorum et Procerum conſenſu, renuntiatus fuit Regiæ perſonæ Protector ſive Cuſtos, & etiam omnium ejus Regnorum ſubditorumq; Gubernator, & locum tenens generalis Regij exercitus tàm terreſtris quàm maritimi conſtitutus eſt: Præterea, ſummus Theſaurarius & Comes Mareſchallus Angliæ factus eſt: Inſularum autem Gernſeienſis & Ierſeienſis Imperator ſive Præfectus; et nobilis Academię Cantabrigienſis honorandus Cancellarius: Quæ omnia munia muneraque unà cum ipſius magnis ornamentis et dignitatibus ille præclarè et cum ſingulari Regis Reipublicæq; favore geſsit ſuſtinuitq;, donec, Temporis progreſſu (proh dolor) diſcordia et contẽtio inter illum et fratrem ejus D. Thomam Seimorum Angliæ

Architalaſsum ceu(ut loquamur)Admirallium orta eſt. Illi hęcApophtegmata oblivione delentes,*vis unitâ fortior, velle & nolle idem,eadē eſt firmiſsima amictia,& ſingula hoſtilia facile franguntur, conjuncta non item:* & ſatanæ inſidijs implicati,non ſat fideliter in memoria ſua continuerunt Pſalmiſtæ dictū, *Ecce quàm bonum & quàm jucundum eſt, habitare fratres in unum:* Inde,prout quidam ſcriptis prodiderunt,de uxorum ſuarum προεδρία diſsidebant, tantiſper dum fatali ictu Caput Architalaſsi, ab ipſius humeris abſciſſum fuerit Anno Domini 1549. & Regnantis Edouardi tertiò. (Vnde quidam ſcribit Epiphonematicè,

En quo diſcordia fratres
Perducit miſeros)

Illo demortuo ſimultas accenſa eſt inter Protectorem noſtrum, & illum magnanimum Ioannem Dudleium Comitem VVrvvicenſem, et ipſi Regi ex ſanctioribus conſilijs. Temporis autem decurſu,Protector ille,captivitatus in Turrem Londinenſem conjectus eſt, multaq; accuſationum capita excogitata eique objecta ſunt, ad quæ Ille tam ſapientèr prudentèrq; reſpondit, ut his criminationibus abſolutus fuerit et relaxationem invenerit, ſed dignitati non item,Protectoris munere excluſus & in Senatorum Regium album adſcriptus. Veruntamen,Somerſetius & VVarvvicenſis in gratiā redierunt. Cæterū anno 1551. Somerſetenſis Dux ſecundâ vice, fuit in Cuſtodiam datus,idque (prout plerique conſcribunt)Dudleij,tunc Ducis Northumbrienſis,callido ſtratagematè et machinamento; ſed, ut ego interpretor, potius iſta incarceratio & conſpiratio accepta ferenda eſt Magnatum Procerumq; Pontificiorum Papæq; partibus faventium qui erant Regi juveni a ſecretioribus conſilijs, malitiæ et ſyncretiſmo: Vtcunque in judicium protractus, duplici crimine oneratur Dux, Proditionis nempe ſive Læſæ Majeſtatis ac Felonię (quę fuit conjuratio in Northumbrienſem)reus perageretur:tamen in judicio à proditione abſolutus fuit, ſed Feloniæ reus inventus eſt. Et hinc, ô tempora, ô Mores!) hic eximius et perbonus Dux nullius

Felo-

Feloniæ unquam conſcius, Feloniæ nomine decollatus fuit; Calendis Februarij eodem anno, regnantis autem Edouardi ſexto: Et Deum teſtema ppello abſq; Regis conſenſu & approbatione, namq; nulla de re Rex adeo doluiſſe prædicatur, nihilominus non inficias eo, quin obliquis vijs & modis, Regis Chirographum obtineri potuerit ad Avunculi interitum et decollationem. Quod attinet ad hujus illuſtriſsimi Somercetenſis Ducis præclara et nobilia facta in vita ipſius, et imprimis ejus ſummè religioſos ſermones paulo antè & in ejus obitu habitos, et preces ſanctiſsimas ab eo conceptas, neceſſe habeo Lectorem remittere, non ſolùm ad Foxi noſtri, Martyrologium, ſed etiam ad omnia alia eorum temporum Chronica, utpote quæ ſint inſpectione lectioneque longè digniſsima. Et certè, quum reformatæ Eccleſiæ Gallicanę in ipſorum Kalendarijs, in hodiernum uſque diem, Ducem noſtrum in Martyrum numerum aſcribant, quid impedit quò minùs nos Angli Eum noſtratibus Martyribus multò magis annumeremus?

FVTVRA PRÆTERITIS.





IANA GRAYA

Regia stirps tristi cinxi diademate crines
Regna sed omnipotens hinc meliora dedit

DOMINA IANA GRAIA



OMINA IANA GRAIA, maxima natu filia Illustrissimi Principis Henrici *Ducis Suffolciensis*, cum nupta esset Domino *Guilfordo Dudleio* quarto-genito Ioannis Ducis *Northumbriensis* filio: Statim post defunctum Regem *Edouardum*, Londini publicè renunciata est Regina Angliæ &c. juxta Regis illius ultimam volũtatem seu Testamentum: Sed Regina Maria & ejus Consiliarij eam confestim deposuerunt. Heroina fuit multis illa quidem virtutibus pro sexu ornata, Religione verò et pietate maximè excelluit, prout ejus pia exhortatio ad plebem & sancta morientis precatio in Foxi Martyrologio extantes, abunde testantur. Eam autem bonarum literarum artisq; poeticæ non ignarum fuisse, hæc ipsius manu scripta carmina subsequentia demonstrant;

Non aliena putes homines quæ obtingere possunt:
Sors hodierna mihi, tunc erit illa tibi.

Deo juvante, nil nocet livor malus:
Et non juvante, nil juvat labor gravis.
Post tenebras spero lucem.

Et ut doctus quidem scripsit, Erat illa annos nata circiter sedecim, forma non infelici, literarum cognitione incredibili, ingenio acutissimo, & prudentia in illa etiam ætate plus quam muliebri, pietatis puriorisque doctrinæ studiosissima, & adeo honoris delati neutiquam appetens, ut regia ornamenta sine gemitu & lachrymis non susceperit, ut cũctis palam & manifestum foret à parentibus et amicis plane invitam coactam esse, ut id fastigij conscenderet.

Ipsa

Ipsa vero cum Domino Guilfordio illo marito suo, uno eodemque die ad Turrim Londinensem decollati fuerunt, anno 1553.

De hac spectatissima Domina conscripta invenio quę hic subjiciuntur Epigrammata,

Miraris Ianam Grajo *sermone valere?*
Quo primùm nata est tempore Graja fuit.
I. P.

Tu quibus ista legas incertum est lector ocellis:
Ipse equidem siccis scribere non potui.
I. F.

EPITAPHIVM.

Jana iacet sævo non æquo vulnere mortis,
Nobilis ingenio, Sanguine Martyrio,
Ingenium latijs ornavit fœmina musis,
Fœmina virgineo tota dicata choro.
Sanguine clara fuit, regali stirpe creato,
Ipsaq; Regina nobilitata throno.
Bis Graia est pulchrè Graijs nutrita camenę,
Et prisco Graium sanguine creta Ducum.
Bis Martyr, sacræ fidei verissima testis:
Atq; vacans Regni crimine Iana jacet.
L. H.

EXTAT DE DOMINA IANA GRAIA, ANGLICE.

Epistola ad eruditum hominem qui à virtute verbi Divini defecit.
Colloquium cùm Frecknamo de ejus fide & sententia de Sacramento.
Alia etiam Epistola quam ad suam sororem scripsit; unà cum sermone quem mox decollanda in Theatro habuit.

ELISA-



ELIZABETHA REGINA

Diua potens velis, populóque potentior. æquat
Ingenio Reges, et pietate Deos

ELIZABETHA.

LIZABETHA, illuſtriſsimæ beatiſsimæq; memoriæ Princeps , (potentiſsimi Regis *Henrici* octavi filia , ſuſcepta ex *Anna Bollenia* Marchioniſſâ Pembrokiana) *Angliæ*, *Franciæ* & *Hiberniæ* Regina, Fidei Defēſatrix &c. Mari ſor ore ſua fato functa, ad Principatum evecta, et regnare cepit decimo ſeptimo Novembris anno Domini *M D L. VIII.* De cujus (ô *Phœnix* incomparabilis) vita laudatiſsima verba facturus , deſidero linguam plane Angelicam et de hujus Heroidis virtutibus ſcripturus, exopto calamum ex ala Cherubica evulſum , et loco atramenti aurum fuſile expeto : Vos ergo, *ô* Superi et cœleſtes virtutes, mihi in ſubſequente narratione veſtram operam accomodate , et mentem ſtylumque dirigite! Prima ipſius inauguratione, Regnum ſuum ſanguinea Reginæ Mariæ adminiſtratione valde conturbatum et Eccleſiam jdolomanijs ſuperſtitionibuſq; contaminatam inveniens; Regnum primo bello labefactatum & ære alieno oppreſſum pacavit & erexit.

Regnum tranquillitatum.

Deinde papiſmo exterminato, veram Religionem et Lucem Euangelicam reſtituit : quod Reginæ magnificentiſsimus Pater præclarè inchoârat, et beatiſsimus Frater promovere felicius ſtuduit, Hæc Heroidum Phœnix temporis progreſſu pleniſsimè abſolvit.

Papatus exterminatus.

Et ut ſuos ſubditos plane undequaq; felices efficeret, monetas æneas & reddidit (ad perpetuam rei memoriam regniq; gloriā) argenteas, & aureas idq; proprijs ſumptibus et impenſis.

Monetæ æroſæ purificatæ.

Ad hęc Armentaria ſua inſtauravit & deinde ſubditis ſuis in ſingulis Oppidis et Villis *Armis* et apparatu *militari* inſtruxit, Regnumq; omni terrâ mariq; cōmunivit. Proinde, ornamentis pacis inſtructa et bellicis telis bombardiſq; præmunita, continuam pacem & amicitiam cum Gallia coluit : adjacens Scotiæ Regnnm ſedavit, pacavit ſuſtentavitq; quod antea civili diſsidio & ſeditione laborabat.

Scotia adjuvata.

Pius P.V.

Anno 1569. Regniq; ſui duodecimo Pius V. (imò plane

plane impius (ſceleratiſsimus Pontiſex Romanus miſit Bullam tumidam e Roma omnia mala intonantem & intentantem ad quam Regineam Majeſtatem reſpondendentem in hac Proſopopœia invenio, quæ prætermittere nullo modo potui;

PROSOPOPOEIA S. REGINÆ ELIZABETHÆ CONtra Bullam R. P. ejuſq; pia exhortatio ad Patriȩ Cives & ad omnes Chriſtiani orbis PRINCIPES.

REGNAT *in excelſis Dominus qui regna gubernat*
Ille unus terris præſidet Altitonans.
Ille Deus ſolus Regnorum temperat Axes,
Ille omnes toto volvit in orbe rotas,
Ille ſuos ſacro perfuſos Chriſmate Reges,
Atq; Duces ſanctos muniet ille ſuos.
Ergo quid inſanat Bullatus Epiſcopus *in me?*
Cur me deturbat plumbea Bulla *throno?*
Cur Pius *extirpat ſummi plantaria* Chriſti Regina contra Bullam.
Deſtruit & delet quod Deus ipſe ſtruit?
Vnxit me Chriſtus *clementer protegit unctam,*
Atq; è Pontificum faucibus eripiet.
Hactenus illius me victrix Dextera juvit,
Nec decurtabit Brachia longa Deus,
Si Deus *eſt mecum quid bruto fulmnine terret?*
Cur novus iſte Gigas *culmina celſa petit?*
Cur hic Nimrodus *rurſus debellat Olympum?*
Quid contra Iovam Bella nefanda gerit?
O Pie *confracta eſt Petrianæ hæc Ancora Navis,*
O Pie *,vana tua eſt ſpecula,vana fides.*
V*os quibus Omnipotens Regales tradit habenas* 2. Reginæ ad Reges Exhortatio.
Vos quorum populos ſubdidit Imperio:
Ne vos in populos ſervili Rege prematis,
Barbaricum vobis excutitote jugum.
Pellite qui pugnat pro ſceptro,faſce Corona:

Non hæc sors Papæ : Spartáve Pontificum.
Pontificum non est carnalibus utier Armis,
Quid, tot Regna vorat spiritualis homo?
Non est Pontificum furibundas condere Bullas;
Regnis *infestas spargere ubiq; faces.*
Quid gladius? verbum. Quid clavis? apertio verbi.
His Christi Mysta pungere corda solent.
Tales Signiferos Christus protrusit in orbem,
Tales Ensiferos Clavigerosq; dedit:
Psal. 2. O Reges *data sancta. Dei Patris oscula GNATO.*
Unicus is Regum Rex, Capitumq; CAPUT.
Huic qui non servit non regnat Syphar & umbra est
Exemplóque meo discite Regis opem.
Non deerit vobis: Fœmellam sepsit in-ermem,
Pontifices abeant : huic reserato fores:
Psal. 24. *Huic portas aperite, novos excludite* Reges:
Hic Rex *justitiæ Maximus introeat.*
8. Ad Anglos *ANGLIA Chara mihi, mea viscera, Filia, Mater:*
Bulliferis istis ne moveare Pijs.
Quid feci aut merui cur indignere Britanne?
An quia tu fœlix, hinc ego displiceo?
An quia tot Donis per me Deus ipse beavit,
Hinc ego, Dona, Deus, nausea facta tibi?
Cur Egyptiacas redeat meus Anglus *ad ollas?*
Cur Sodomam spectet Lotha misella suam?
Dum soror Italici pendebat tota renata,
E nutu: rerum scena dolenda fuit.
Relligio corrupta fuit: vitiatus & omnis
Cultus divinus, commaculata fides.
Damna foris, pugnas intus mea Musa tacebit:
Ipsa ego vobiscum fellea pocla bibi.
Nunc nunc Manna datur : Cælestis pabula vitæ,
Pax & prosperitas, cuncta secunda fluant:
Qui pascit Corvo mea florida LILIA servat,
Et capitis pilos & *DIADEMA meum.*
Est Leo Iudaicus nostrûm tutela LEONUM
Num Leo Romanus fit Leo terribilis?

Num

Num formidatis, Mitrati insignia Papæ,
An Gladius, CLAVES, Clava nocere queant?
Sint potius Christo grates, effundite vota,
Omnibus occurrat Dœmonis insidijs.
Congeminate preces Christo, ut bona vestra perennet.
Ne Rhombus regnet, congeminate preces.
Congeminate preces, ut sancta Ecclesia perstet:
Congeminate preces, vivat ut ELIZABETH.

Ipsa; serenissima nostra Regina, per multos annos Belgas ab insolentis & insultantis Hispani violentia tyrannidéque vindicavit. Iste Hispani cruoribibæ Ruinam Angliæ minitantes, et Regnum spe devorantes, ingentem Classem, invictam (falsò dictam) adornarunt, secum deliberatissimum habentes, anno 1588. universam Angliam incursionibus devastare: sed attende pessimum et infamem eventum; Mensibus Iulij, Augusti, Septembrisq; Angli Deo Duce, Comite industria et Francisco Drake Navarcho nobilissimo suas partes callidè et strenuè agente, totam Classem Hispanicam (universo penè terrarum orbe acclamante) lacerârunt, ceperunt, depresserunt, devicerunt, fugârunt. Victoria certè ad Dei gloriam illustris et ad Reginæ famam insignis: Vnde beatus Beza, suæ ætatis Elizæus, conscripta quædam carmina gratulatoria ad Reginã misit, quę memorię causa attexuj.

Belgæ adjuti.

Classis. Hispanica. 1588.

Theodorus Beza.

Staverat innumeris Hispanus classibus æquor,
Regnis juncturus sceptra Britanna suis.
Tanti hujus rogitas quæ motus causa? superbos
Impulit Ambitio, vexit Avaritia.
Quàm bene te, Ambitio, mersit vanissima, ventus:
Et tumidæ tumidos vos superastis aquæ!
Quàm bene raptore Orbis totius Iberos
Mersit inexhausti justa vorago maris!
At tu, cui venti, cui totum militat æquor,
Regina, O mundi totius una decus.
Sic regnare Deo perge, Ambitione remota
Prodiga sic opibus perge juvare pios,

Vt te Angli longùm, longùm Anglis ipsa fruaris
Quam dilecta bonis, tam metuenda malis.

Hic hostium domitrix victoriosa & inexpugnabilis, suis semper propitia & amabilis nòn modo á subditis & alijs conterminis gentibus Orbis Christiani & Europæ, fuit adamata & magnificè prædicata, verum etiam per totam rerum Vniuersitatem inclaruit. Et hujus assertionis veritatem Legati et Oratores e Turcia, Mauritania, Numidia, Persia, et Muscovia evincunt, et quod non tam rarum est quã verum, Magnus Sultanus Muraht Turcarum Imperator Reginã et Regni sui administrationẽ admiratus est, prout liquet ex Literis ab ipso Sultano magno ad Reginalem Majestatem anno 1590 missis, quarum Literarum exemplum, in libro qui Theatrum Imperij Magnæ Brittaniæ inscribitur anglicè licet conspicere. In illis Literis eam appellat, *gloriosissimam Reginam, fœminã splendore clarissimam, fœminarum potissimam, Ihesu affectatorum præpotentium Principem, excellentissimam Elizabetham sapientissimam Brittannicarum Insularum Gubernatricem, perpetuæ fœlicitatis Dominam & hæredem*; & suasit ei ut pergeret bellum adversus Hispaniarum Regem inimicum suum maximum, &c. Datum Constantinopoli anno 1590.

Io: Speedus Th. Imp: Ma. Britanniæ, in historia pag. 825.

Ejus vel Nomen fuit Hispanis terrori quos in aciè sepe expugnavit, & Mari identidem, ut supra dixi, disjecit.

In toto Imperij sui cursu synceram Religionem promovit, et propagavit Euangelium Christi, alma Nutritia omnibus peregrinis qui propter ijdem Euangelium exulabant. Illa exquisitè calluit et locuta est latinè gallicè, Italicè, Hispanicè, imo Græcè et Hebraicè, adeo ut vix indigeret interprete qui cujusvis Oratoris mandata exponeret: unde vir eruditus ita loquitur.

ELIZABETH *VIRGO Regina & Regia proles*
EXCELLENS *Linguis, Cognitione Fide.*

Hæc

Hæc Virgo Imperatrix altera Pallas,& Triumphatrix Regina, quum penè ad ſeptuageſimum vixiſſet annum, pacatè et feliciter pluſquam quadraginta quatuor regnavit annos, ſenio cana, & fama prædicabilis, ægrotavit menſe Martio Anno 1602. & vitam Deo reddidit piè et religioſè 24. die ejuſdem Menſis Richmonti, non ſine ſummo dolore ſubditorum ſuorum fideliſsimorum, Corona terreſtri et marceſsibili cum Cœleſti & æterno Diademate permutata.

R.E.Obitus.

Hæc Virginea Regina fuit nata vigilijs nativitatem beatæ Virginis Mariæ proximè præcedentibus, Anno Chriſti 1533. et commigravit ad Chriſtum vigilijs annuntiationem ejuſdem Beatę Virginis immediatè antegreſsis, Anno 1603.

Iacet ſepulta & requieſcit in VVeſtmonaſterio è regione avi ſui Regis Henrici VII. ejus legitimus ſucceſſor, Rex IACOBVS, noſter Dominus ſereniſsimus et ſupremus Gubernator ſplendidum, magnificum & vere regale erexit Monumentum ſuper ejus tumulum has ſequentes & nullo modo omittendas invenio Inſcriptiones.

MEMORIÆ
SACRVM.

RELIGIONE AD PRIMÆVAM SYNCERITATEM RESTAVRATA, PACE FVNDATA, MONETA AD IVSTVM VALOREM REDVCTA, REBELLIONE DOMESTICA VINDICATA, GALLIA MALIS INTESTINIS LIBERATA, BELGIO SVSTENTATO HISPANICA CLASSE PROFLIGATA, HIBERNIA PVLSIS HISPANIS ET REBELLIBVS AD DEDITIONEM COACTIS PACATA, REDITIBVS VTRIVSQVE ACADEMIÆ LEGE ANNONARIA PLVRIMVM ADAVCTIS, TOTA DENIQVE ANGLIA DITATA, PRVDENTISSIMEQVE ANNOS 45. ADMINISTRATA, ELISABETHA REGINA VICTRIX, TRIVMPHATRIX, PIETATIS STVDIOSISSIMA, FOELICISSIMA, PLACIDA MORTE SEPTVAGENARIA SOLVTA, MORTALES RELIQVIAS DVM CHRISTO IVBENTE RESVRGANT IMMORTALES, IN HAC ECCESIA CELEBERRIMA AB IPSA CONSERVATA, ET DENVO FVNDATA, DEPOSVIT.

MEMORIÆ ÆTERNÆ.

ELIZABETHÆ ANGLIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REGINÆ, R. HENRICI VIII. FILIÆ, R. HENRICI VII. NEPTI, R. EDVVARDI IIII. PRONEPTI, PATRIÆ PARENTI, RELIGIONIS ET BONARVM ARTIVM ALTRICI, PLVRIMARVN LINGVARVN PERITIA, PRÆCLARIS TVM AMINI TVM CORPORIS DOTIBVS, REGIISQVE VIRTVTIBVS SVPRA SEXVM.

Principi incomparabili.

IACOBVS MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REX, VIRTVTVM ET REGNORVM HÆRES, BENE MERENTI PIE POSVIT.

EX auditione accepi, quod etiamnum noſtris diebus ſupereſt nefaria, ſive Papaliũ Atheorum, ſive Atheorũ Papiſtarum ſex & factio, qui, non obſtantibus omnibus clariſſimis & verè gemmeis noſtratis nuper Reginæ, verè virginis virtutibus, toti terrarum orbi, ita conſpicuis; tamẽ non erubeſcunt (videor enim mihi eorum obmurmurationes audire) prædicare, primò, Illam, quóad natalitia, ipſius, á polluto cubili ſuã traxiſſe originem. Deinde, quóad vitæ ſuæ conſuetudinẽ, Illã minimè caſtam extitiſſe, cujus injuſtiſsimæ criminationis, ille ſceleroſus proditor * Sanderus, fuit primus author, iſte autẽ calumniator, prout in vita ipſius, fuerit in Deũ, in principem, in patriam perfidus & perduellis, ita miſerum & infamẽ in Hibernia invenit vitæ ſuæ exitum: ut nihil amplius de iſto homuncione dicam, faxit deus, ut ejus memoria magis, magiſq; fœteat, & computreſcat. Qui autem unctamDomini calumniantur & falſis convitijs conſectantur, maledicti ſunto ſingulis maledictionibus quæ in S. Pentateucho Moſis, tranſgreſſoribus denuntiantur, ij etiam & eorum nomina in æternum computreſcunt. Egomet autem, quicquid virulentæ & maledicæ papiſtarum linguæ & pennæ promulgaverint, audeo aſſeverare, quòd nemo rectè & verè Chriſtianus in tota rerum univerſitate, Ejus ſive ortum, ſive vitam, in quæſtionem vocaturus ſit. Illa, cujus, *omni virtute præſtans mater, proſeminata & edita

*In Schiſ. Angl.

*Conſule Speedũ in Hiſt. pag. 770.



Tumuli Elisabethæ Reginæ vera deliniatio

edita fuit nobilissimis et summa virtute parentibus, et illa, quum esset legitima inclytissimi Regis & nobilssimæ Reginæ filia, & quæ tam religiosè & innocenter vixit, potuitne istis turpissimis criminibus esse obnoxia? Illa, in totius imperij sui admistratione fuit, ratione sapientiæ suæ altera *Schebæ* Regina: & Religionis pietatisq; Christianæ nomine, altera *Debora*, &(quemadmodum in Isaia prædictum est), Sanctorum & Ecclesiæ nutritia. Et si vitam ejus spectes, quomodo fieri potest, ut Illa incesta foret, *quę nullam ex suis pedisequis honorarijs, et ancillis, incontinentiæ crimine semel et iuste convictam, in suum conspectum venire unquam sustinuit: Addo etiam quod, illa fuit sui seculi *Phœnix*, et non modò fœminarũ, verum etiam totius mundi miraculum, et hoc ejus tum administratio, tum raræ et planè singulares animi dotes comprobabant. Et si hęc non satis possunt ora obstruere illorum oblatrantium Cerberorum, qui eructant et exhalant blasphemas voculas adversus beatæ memoriæ Reginam, propterea quod Illa IesumChristum profiteretur et ejus Euangelium purè et potenter propugnaret, non possum me continere, quin semel et simul, ad eorum sempiternum opprobrium, illis dicam; quod sint filij Diaboli et quod eorum linguæ à Diabolo gubernatę, diabolicum planè spiritum exhalant, et ejus dialectum, frequentant.

* Idem in Histor. pag 881.

Et quanquam beata hęc Regina pro seipsa respondere nequeat, prout potuit, quamdiu in terris, gloriosè regnaret; tamen, in cælis triumphat, ibi considet, ibiq; omnes Dei, et suos hostes et adversarios, generali sensu, deridet. Proinde, Tartareos omnes et Atheos papicolas suæ vanitatis pudeat, et, majoris ignominię metu, conticescãt. Peroro, adhibita illa ingenui et perdiligentis scriptoris imprecatione. Sit in maledictione et in perpetua maledictione ille calumus, aut illud os, quod hanc(odoratissimam) Rosam à polluto cubili deducit: vel, quod asserit ejus cubile fuisse unquam contaminatum. Istorum serpẽtum ora, quò Dominum Deum suum papam (papè) defensitent, prodigiosorum mendaciorum virus evomuerunt, et

calamos ſuos Linguasq; ceu tot haſtas et enſes, exacuerunt in unctam Domini. O Deus fortis ultionum, fac, ut iſti impœnitentes & blaſphemi conviatores, unà cum inſidioſo Serpente, et cum Satana mendaciorum Patre in ſtagno ignis qui ardet ſulphure, recipiant portionem ſuam. Deſcende, Domine Ieſu et veni citò, tuam ipſius cauſam in terrâ vindicaturus. Amen.

SCRIPSIT ELIZABETHA REGINA.

TRanſtulit è græco in Latinum Iſocratem.

Orationem ad Nicoclem de regno, lib. 1.

Tertiam ejusdem Orationem in anglicum è gallico vertit.

Meditationes Reginæ Navarræ.

Præcationes quasdem piiſsimæ.

Ejusdem Liber precum publicarum ſeu Miniſterii Eccleſiaſticæ adminiſtrationis.

Sacramentorum in Eccleſia Anglicana.





Spes Patris, et Patriæ. Fatorum lege Peremptus
Ante diem. Iachrimas et inania vota relingo.

HENRICVS FREDERICVS.

HEnricvs Fredericvs amor et deliciæ *Brittanicæ* gentis, nuperrimus *Walliæ* ſive *Cambriæ Princeps*, *Cornubiæ Dux*, *Ceſtriæ Comes-palatinus*, Eques *SanGeorgianus* ſive aureæ Periſcelidis nobiliſsimus: ſereniſsimi noſtri Regis *Iacobi* primogenitus, et Regnorum *Magnæ Britianiæ* Hiberniæq; Heres deſignatus, ad omnia ſumma natus videbatur. Cujus inexpectati et nũquã ſatis dolendi obitus cauſâ, nequeo de tam incomparabili Principe abſq; lachrymarum ſtillicidijs ſcribere, loqui, cogitare. Hujus multiplices et clariſsimas virtutes identidem contemplatus, talem mihi videor videre ejus προσωπογραφίαν ad vivum depictam: puta, ſi *Pietatem* (omnium virtutum fundamentum) ſpectes, redivivum *Ioſiam*: ſi Sapientiam conſideres, alterum *Salomonem*: ſi Doctrinam una cum fortitudine feliciſsime copulatam notes, *Cæſarem*, imò & *Alexandrum*: ſi Exercitia Principe digna obſerves, alterum *Cyrum*; ſi Artes, *regem Ptolomæum*: ſi denique venuſtiſimæ formæ dignitatem inſpicias, alterum Adonidem conſpicari videor. Primam harum virtutum atteſtantur omnia matutina veſpertináq; ſacra, ab eo religioſiſsimè frequentata, & ſanctiſsimè conſtituta adverſus Blaſphemias diſciplina domeſtica: ſecundam evincit frugalitas ejus, & œconomicæ rationis ſtudium, imò, ipſe ſuis & non alienis ſolùm oculis quid ipſius ſequelæ, miniſtriq; agerent, deſpicere voluit: quod ad tertiam attinet, quis neſcit ipſum quaſdam horas ad lectionẽ & ſtudia ſepoſuiſſe, idemq; de ejus vere regijs & bellicis exercitijs affirmari poteſt: et in Geometricorum Inſtrumentorum uſu, ſuas habuit horas ſeorſim deſtinatas. Quæ dico, certus ſum quod omnes ejus Aulę nobiles et pullati Miniſtri jam ſuperſtites, ſua voce teſtimonióque confirmaturi ſunt: quinimó in Celſitudinis ſuæ facie perfectæ

fectæ Regiæ Majeſtatis idea enituit. Eſt ergo cur unanimi conſenſu noſtram omnium ineffabilem & inexpiabilem iacturam, imò cujuſque damnum diſpendiumque qui ſibi in Principis magnificentiâ et virtute complacuit, deploremus, Proh dolor. Princeps verè Princeps, in quem totius Chriſtiani Orbis Oculus defixus fuit, expectatiſsimos virtutum ſuarum inſigniſsimarum fructus percepturi. Tamen, ceu recens & tenera Roſa, in ipſo ætatis Flore (ſeu potius primo verè) fatali immaturæ mortis manu eſt precerptus: O dolorem incredibilem! Quare tu Magna Brittania, tuum Principem & Athletam (Athlantem veriùs dixerim) Lachrymis proſequere. Et non ſolùm eſt cur noſtra hæc Britannia eum deflere debeat, ſed aliæ etiam confines & vicinæ Regiones in hujus fletus ſocietatem venire debeant: quum (tanto amore Euangelium & tanto odio Papiſmum proſequutus eſt) præ omnibus orbis Chriſtiani Principibus, ipſe in propria perſona, Romæ (quæ eſt Antichriſti indubia ſedes) mœnia ſcalis aſcendere verſiimillimè crederetur; intuemini enim illum hic graphicè depictum & Lanceam ſuam in Romam vibrando intorſurum;

Quocirca



Spes patris et patriæ fatorum
lege peremtus
Ante diem, lachrimas et inana
vota relinquo

Hee that the LIFE of this FACE euer saw
The MILDNES in it noting, and the AVE
Will iudge that PEACE, did either in her LOVE
So soone aduance him to hir STATE aboue

Or else in FEARE that HEE would WARRE preferre
Concluded with HIM HEE should LIUE with
To both HIS aptnes fluentlie appeares;
In euerie SOLDIERS greife SCHOLLERS teares

QVocirca, mœrorem noſtrum non mediocriter minuat, quòd ex iſta mortalitate una cum ſpe quam nobis dederat virtutum ſuarum, quarum fructus Parentibus regalibus ſuis debuit, cum gloria & prædicatione quam á Patria ſua expectabat, & cum illis commodis & bonis, quæ optimus quiſque ſibi ab ipſo pollicebatur migraverit: nihilq; poſt ſe præter immortalē virtutum ſuarum memoriam & triſte ſui deſideriumr, eliquerit. Qui illum non adamavit, eum nunquam agnovit: qui eum viventen noverat, & defunctum non deplorat, eſt planè ferus & ferreus.

Ex adverſo, luctum planctumq; dimittamus, & ejus fęlicitatem plauſu & congratulatione proſequamur. Deo naturęq; debitum ſuum reddidit: immaturus obitus fælicitatis æternitatem ſibi maturavit. Quippe, cum longè fælicior ſit qui proſpero flatu, licet impetuoſo & violento in optatum portum celeriter provehitur, quàm qui propter diuturnam & ingratam tranquillitatem, eum ſeriùs attingit. IPSE qui cognoverat hanc vitā nonniſi mutuò ſibi fuiſſe commodatam, ita vitam inſtituit, ut non invitus moreretur, ſi modo ille dici queat expiraſſe, qui ex tenebris in lucem tranſlatus eſt, quiq; dolorem delectatione & mortalitatem immortalitate commutavit: In quo Dei in eum benignitas, magis potuit extare & eminere, quàm eum a peccati reliquijs, & iſtius Mundi immundi moleſtijs & miſerijs ſubducendo, & eripiendo, priuſquā temporum pericula, ſenectutis ſolicitudines & varia mala, quæ ſunt iſtius mortalitatis adjuncta inſeparabilia, & imprimis Majeſtatem comitantur, deguſtaret aut amplius experiretur? Proinde, Providentiſsima ſua ipſius natura, falſis et caducis mundi voluptatibus ſeſe obſatiatam ſentiens, et æternitatis ſiti accenſa, eum impulit, ut tū nos relinqueret, cùm tantum honorem et ſplendorem in ipſo ætatis ſuæ flore et vigore adeptus eſſet, quantū quis longa corporis contentione et animi ſtudio acquirere valuerit. Ægrotare cæpit ſub Feſtum *omnium Sanctorum*, in illa ſæviſſima et ventoſiſſima hyeme, anuo 1612, duode-

cimq; ferè dies oblanguescens, fatali illo sexto Novembris die, religiosissimè & Christianissimè vitam decimo octavo ætatis anno terminabit, unde Papistæ ἐπιχαιρέκακοι non verentur sextum Novembris nobis contumeliosissimè objicere: in hunc modum oblatrantes, vos Euangelici, qui tanta religione et lætitiæ solemnitate quintum illum Novembris concelebratis, quid factum est de Principe vestro, sexto illo Novembris die? Quibus in hunc modum respondemus, idque non sine iustis causis & ad perpetuam eorum infamiam; Nonis Novembris, sine dubio omnia Dæmonia Inferorum malè habuit, quod procuratorum suorum conjuratio sulphurea speratos exitus non invenerit: sic è diverso, illo sexto Novemb. die Angelorum & Sanctorum Cœlestium universitas mutua congratulatione nostrũ pium Principẽ excepit, unde vir sanè eruditus, hos subsequentes versiculos conscribit:

O Invidorum quisquis es, Romuli nepos,
Qui fata nobis exprobras Novembrium
Crudelis audi: Nunquid autumas Scelus
Illud nephandum, Sulphureum, igneum Malo
Oblitterari posse succedaneo?
Ocellus orbis Henricus quoquo die
Novo beavit spiritu cœli domos,
Infame vestri nomen Ausi perpetim
Ad execrantes transvolabit Posteros;
Tantoq; deinceps ateriore Calculo
Signabitur, quantò ultimum *Henrici* diem
Attingit usq; propriùs Unius docet
Iactura (quamvis Numinis dempti manu)
Quantum luisset Orbis, uno vulnere
Si tota Magni stirps Iacobi regia
Tulisset unum funus à vestro Dite.

Et quis non animadvertit aut saltem animadvertere debet, quanta et quæ continua vis pluviarũ, sit ejus mortem consequuta? quæ pluviæ quid aliud fuerint, quàm Cœlorũ propter ademtum Principẽ lachrymæ. Quamobrem

rem de ejus beata immortalitate persuasissimus, finem facio. Verum enimverò ejus virtutum βασιλικωτάτων (in animis et linguis omnium hominum memoria perpetuabitur. Lachrymæ ita mihi eripiunt oculorum usum, ut calamus ulterius progredi nequeat.

Iusta ipsius funebria cum magna celebritate summo honore & omnium ordinum lamentatione persoluta sunt septimo die Decembris subsequentis anno 1612. Ejus autem Cenotaphij descriptionem hîc contemplare.




Crudeli crudaqꝫ Patri patriæqꝫ ruina
Raptus, ut ætheris insereretur auis
HENRICVS modica (Sanctum Caput) inditu Vrne
Maximus Ille, suo ni genitore minor
Hugo Hollandus fleuit

Whome all the vast fframe of the fixed Earth
Shrunck vnder, now a weake Herse stads beneath
His statche past in fact, in Hope his Birthe
His Youth, in good life & in Spirit his Death
Gio Chapman


IOANNES CHECUS EQUES AURATUS LINGUA GRÆ. PROFES.
Ingenium magni moderatus Principis exul
CHECUS, at inconstans in Pietate fuit
AB

IOANNES CHECVS,



OANNES CHECVS, ſanguine nobilis, in Civitate Cantabrigienſi natus, & optimarum literarum ſtudijs in Academia Cantabrigienſi educatus, in Collegio D. Ioannis Euangeliſtæ, ubi ſocius ac Orator Academiæ factus fuit: ibique tam eximias progreſſiones in literis & Linguarum imprimiſq; Græci idiomatis ſcientiâ habuit (in Græcæ autē Linguæ peritia excelluit) ut in gratiam & favorem Regis illius Henrici octavi influxerit, qui filium ipſius unicum unicèq; dilectum Edovardum Principem ei in diſciplinā & Literis expoliendū tradidit: Qui Princeps tam præclaro doctore uſus eſt, adeo ut (ſive Religionem & pietatē, ſive doctrinam & Linguarū ſcientiam conſideres) Phœnix Mundi evaſerit, prout luculentiùs ex mea vitæ ejus Epitome apparet. Hic autem Princeps excellentiſſimus quamprimū in Regali ſolio fuerit collocatus hunc Checum noſtratem Equeſtri Ordinis dignitate decoravit, quo ferè tempore illuſtres juvenes Guilielmus Cecilius (qui ejus ſororem duxit) & Henricus Sijdnejus, (ille chariſſimus Regis Edovardi ſodalis & thori conſors) Equeſtri dignitate inſigniti fuerunt: & invenio, quod hi bini Equites aurati, Sijdnejum dico & Checum, fuerunt ſummo amore & intima familiaritate conjunctiſſimi, & hic amor familiaritaſq; mutua inter eos permanſit uſq; ad ſereniſſimi & beatiſſimæ memoriæ Regis obitum:

Invenio etiam ſummam fuiſſe conſuetudinē inter ipſū & literatiſſimos Equites Thomam Smithum et Thomā Eliotam, et eruditum illum Rogerum Aſchamum, qui illi ſucceſſit S. Ioannis Collegij et Academiæ orator (ut ex libro ejus Epiſtolarum apparet:) Taceo amicitiam et familiaritatem ejus cum Ioanne Sturmio Ioachimo Camerario et multis alijs doctiſsimis exteris, quos recitare longius eſset quàm ut hic inſeram.

At, non ita multo poſt Regis expirationem, hic Checus,

cus, Christi & purioris Religionis causa, exilium passus est, in Germaniam confugit, & Argentorati commoratus est, ibiq; Linguã Græcam publicè & ex auctoritate prælegit. Cæterum A°. Christi 1554. et secundo Mariæ Reginæ regno Argentorato Bruxellas in Brabãtia profectus est, idq; non, uxoris ducẽdæ gratia, ut somniat Thuanus, quis enim crederet illum alias aggresum nuptias cùm ipse eodem tempore haberet uxorẽ, virtute et juventute præditam? (Quæ etiam post maritum superstes erat plusquã lx^a. annos et (quod memoria imprimis est dignum) hoc vel ultimo anno 1616 diem obijt:) sed, (prout Forem nostrum authorem habemus) ut Anglos Oratores sive Legatos & alios amicos in illis Regionibus residentes visitaret : Sed (proh dolor) in cursu et itinere suo inter Antuerpiam et Bruxellas , ille inopinato et de repentè a Regis Philippi ministris seu satellitibus comprehẽsus fuit, ab equo depulsus ,et funibus ad Plaustrum alligatus, donec obvoluto capite (nesciusq; quorsum aut quonam ipsum abrepturi essent) conjectus est in Navem, et instar captivi in Arcem Londinensem abductus et inclusus: quumq; animus ejus a Papismo penitissimè abhorreret, tamen tum minitationibus tum horroribus propositis tẽtatus et solicitatus fuit, ut suam ipsius (veram) Religionẽ abrenũtiaret: Cujus peracerbæ tractationis tædio et ægritudine contabescens, non multo post spiritum emisit, idq; Londini, ut ex auditione accepi, in ędibus Petri Osberni Armigeri.

Et quamvis ad palum (prout quidam scriptis prodiderunt) non fuerit crematus et eandem sortem cum alijs eodem tempore combustis Martijribus non subierit; nihilominus spectato et expenso apprehensionis suæ et incarcerationis modo, est, cur eum vix numerãdis Mariani temporis Martyribus, jure justeq; accenseamus et ascribamus.

Obijt mense Septembri A°. 1557. & inhumatus jacet in Ecclesia S. Albani (VVoodstreet) cum hoc Epitaphio subseque:

Doctri-

Doctrinæ CHEKVS linguæq; utriusq; Magister,
Aurea naturæ fabrica morte jacet.
Non erat è multis unus, sed præstitit unus
Omnibus & Patriæ flos erat ille suæ:
Gemma Britanna fuit, tam magnum nulla tulerent
Tempora Thesaurum tempora nulla ferent.

TRANSTVLIT SCRIPSITQVE CHECVS;

Transtulit ex Græco sermone D. Io. Chrysostomi homilias contra observatores Novilunij, de dormientibus in Christo, de providentia Dei homilias 3. de fato homilias 3.

Transtulit in Linguam latinam librum Thomæ Cranmeri anglicè scriptum de sacramentis, excusum Londini 1553.

Item ex Græca lingua transtulit Demosthenis Olijnthiacas, Philippicas, contra Leptinem, & adversarias orationes Demosthenis & Aeschijnis.

Iosephum.

Leonis Imperat. librum de apparatu bellico, impressum Basiliæ.

Euripidis & Sophoclis quædam.

Asceticum Maximi Monachi.

Aristotelem de Anima.

Scripsit librum de pronunciatione Linguæ Græcæ.

Commentaria in Psalmum Domine probasti,

Panegyricum in nativitatem Edovardi Principis.

Correctiones quasdã Herodoti, Thucijdidis, Platonis, Demosthenis & Xenophontis lib. plurimos.

Damnum ex seditione lib. 1.

An licent nubere post divortium lib 1.

In Psalmum 139.

De Eucharistiæ sacramento lib. 1.

Epitaphiorum lib. 1.

Super obitu Buceri lib. 1.

De Ludimagistrorum officio lib. 1.

Introductionem Grammatices lib. 1.

In obitum Antonij Dennei lib. 1.

De fide justificatione lib. 1.

De aqua lustrali, cineribus & palmis, ad VVintoniensem lib. 1.


Collegitq; dicta Parliamenti super re Eucharistica, lib. 1.

Ille etiam olim, tamen non nisi nuper typis editam, conscripsit dulcem Elegiam Anglicam, in qua longè præstantissimi Regis Edovardi VI. ægrotatio: una cum temporis lociq; circunstantijs, & luctuosus, (bonorum omnium) obitus descripta fuit: Hæc autem Elegia Anno demùm Dni. 1610. Londini per H: Hollandum excusus est.



PEMBROCHIÆ Comitis virtus tot Regibus vna
Duxit inoffenso tandem ipsum tramite ad astera

GVILIELMVS HERBERTVS.



VILIELMVS HERBERTVS (Guilielmi Herberti Comitis Pembrochiensis ejus nominis primi, per Ricardum filium, Nepos) regnante Henrico VIII° Eques auratus, & illi á cubiculo Arcanóq; Consilio factus est: Et postea unus Executorũ ultimi voluntatis ejusdem R. Regi autem optimo Edovardo VI°. Georgiani Ordinis Periscelidis eques, præfectus Equorum, & primò Baro Herbert de Caerdiffi, deinde Pembrochiæ Comes & ab intimis Consilijs factus est, &c. Anno suo climacterico mortem cum vita commutavit, & magnificentisimè in S^ti. Pauli templo Londini, uná cum hac inscriptione sequenti in marmore sepultus contumulatusq; jacet, in qua illustris ejus vita & honores eleganter quamvis breviter describuntur:

Vng je seruiray.

Perpetuę Pietati Sacrum.

GVilielmo Herberto Pembrochiæ Comiti, Equiti Aurato, prænobilis ordinis Anglici:

Henr: VIII. R. a Cubiculis: Edoaardi VI. R. Equitum Magistro, Walliæ Præsidi, Tumultu Occidentali cum Russello & Grayo Baronibus paribus auspicijs summæ rerum Præposito:

Mariæ R^æ. contra perduelles ac expeditione ad Augustam Veromanduorum bis totius Exercitus Duci, bis summo in Agro Caletum Limitum præfecto: Elizabethæ R^æ. Officiorum seu magno Regiæ Magistro:

Pariter & D^næ. Annæ ex vetusta Parrorum gente oriundæ, sorori Catharinæ R^æ. Henr VIII. R. sexto matrimonio conjunctæ ac Marchionis Northamtonij prudentissimæ fœminæ, pietatis, religionis, probitatis, omnisq; avitæ virtutis retinentissimæ fidiss^æ. Comitis Conjugi.

Secunda conjuge superstite Georgio Salopiæ Comite genita, insigni præter antiquum nobilitatis decus, virtute fæmina.

Obijt { Aetatis / Salutis } Anno { 63. / 1569. } Liberis relictis ex prima { Henrico Pemb: Comiti. / Edvardo Equ: aurato. / D^na. Anna Bar. Talbot nupta.

Henr. F. ac Comes P P. chariss: sibi ac suis P.

GVAL-


GVALTERVS DEVEREVS COM ESSEXIÆ
Omni Fortunæ Paratus
Cui fauor a magnâ moderatus Principe surgit
Nactus virtute es & præmia quæ meruit
B. lud

GVALTERVS D'E-VREVX,



VALTERVS D'EVREVX, (Nomen pervetustæ Familiæ in *Normania*, unde genus suum repetijt) Vicecomes, *Herefordiensis* et *Bourghchierij*, Dominus *Ferrarius de Chartley*, Lovaniæ &c. a Serenissª. Regina *Elizabetha b. m.* Comitis *Essexiæ* et *Ewæ* titulo illustratus, anno 1572. eodemq; anno aureæ Periscelidis seu honoratissimi Ordinis Georgiâni electus est eques. Hic Comes sicut facillimis moribus et generosa indole fuit, ita rei militari mirificè studuit, proinde, Regina Elisabetha *Hibernicis* negotijs et bellicis muneribus eum præfecit, ubi feros et agrestos Hibernos perdomare nitebatur, totiusq; Gentis Comes *Mareschallus* constitutus est: sed (proh dolor) vix inceperat rudes et incompositos Rebelles subjugare et a feritate ad mansuetudinē et Religionem revocare, cum in morbum fatalem incideret, et Dubliniæ, auno 1576. è mortali vita religiosissimè emigraverit, universo regno ejus obitum plangente et deplorante. Corpus ejus in Angliam transmissum in natali solo et oppido, putà, *Carmardenæ* in *Wallia*, honorificè et cum magna solemnitate Exequiarum sepultum est.

EPITAPHIVM

Generosissimi Domini Gualteri Comitis Essexiæ, &c.

NAtus in excelsis Mariduni mœnibus ut sum:
Mœnia sic capiunt me Maredune tua.
Nempe meum corpus, capis ô Marıdune benigna,
Quod Mars non fregit Mors violavit atrox.
Qui mentem in corpus fudit Rex summus Olimpi,
Is mentem tulit in cœrula templa poli.



NICOLAUS BACONVS eq: aur:

Ingenio BACON mgnus custosque Sigilli
firmauit iustas Posteritis opes

AB

NICOLAVS BACONVS.

NICOLAVS BACONVS ex antiqua nobilitatis familia Baconorũ in Provincijs Norfoldiensi & Suffolciensi oriundus : adolescens in literis enutritus est, et Legibus Angliæ municipalibus studuit : adeo ut Regnantibus Henrico VIII.° Syndicus fuerit; Edoardo VI°. Consultor et Armiger evaserit ; et quandiu imperitare Maria Regina Atturnatus (ut Angli loquuntur) Curiæ VVardorum factus sit. Post obitum Mariæ Reginæ, Elizabetha in sceptro et regno legitimè succedens eum Equitem auratum fecit , et propter sapientiam et gravitatem Custodem magni Sigilli Angliæ et ab arcanis Consilijs constituit, Primus ille erat quem tanto titulo honorarat Regina : In hoc autem munere cum summa laude per multos annos versatus est. Et quod fuerit non solũ sapiens, eruditus et gravis, sed etiã per quàm religiosus, non tam hujus eminentis muneris in Repub: executio, quam pia et præstans disciplina Domestica eviciti: Cui assertioni meæ, indulgentissima mea & ornatissima mater , etiamnum superstes, testimoniu mperhibet, quæ ante quadraginta annos ejus charissimæ uxori Annæ (clarssimæ illæ doctissimæq; Heroinæ) operam navavit & famulata est, idq; ante mariti obitum.

Hic ille Baconus , acutissimo & festivissimo ingenio, salutari sapientia et summo rerum usu excellens, hanc illustrem dignitatem retinuit, et eam prçclarè administravit quandiu vixit : Ille (inquam) hunc celebrem et excelsum locum octodecim annos tenuit, idq; duplo diutiùs quàm quisquam alius Cancellarius aut magni Sigilli Custos illum locum ante eum tenuit sexcentorũ annorum spatio : Solummodò excipio duos celebres Prçsules Radulphum NeviliumEpiscopũCicestrensem, et Ioannem Staffordum EpiscopumBathoniense-VVellensem, quorum uterq; perinde ac D.Baconus octodecim annos

in hac honorifica administratione versatus est.

Illius temporibus Decreto Parliamentario potestas et auctoritas Custodis Magni Sigilli, in usum sui & successorum ejus in eodem loco coęquata fuit cum Cancellarij potestate et auctoritate.

Annalista noster de eo sic scribit; *Vir fuit præpinguis, ingenio acerrimo, singulari prudentia, summa eloquentia, tenaci memoria, & S. Concilij alterum Columen.*

Dum in vivis fuit annuas et perennes pensiones sex discipulis, sive literarum studiosis, in Collegio quodam Cantabrigiensi quod Benedicti nomen obtinet, sustentandis dedit, et concessit unicuique horum studiosorum tres libras nummorum sex solidos et octo denarios (monetæ Anglicanæ) perannum, in æternum.

Diem suum obijt Londini anno D^i. 1578 cum esset sexaginta novem annos natus: Corpus autem ejus in Æde Paulinâ contumulatum cernitur, et honorificè sepultus dormit, jacetq; subter magnifico Monumento cum maximé raro & notabili Epitaphio jambicis carminibus constante: hoc Epitaphium ille dum vixit adornavit & concinnavit, in quo presse et succincte describuntur media quibus ad splendorem adq; immortalitatem aspiravit: quod dignum et æquum putavi hic inserere;

Hic Nicolaum ne Baconem conditum
Existima illum, tam diu Britannici
Regni secundum Columen; exitium Malis,
Bonis asylum, cæca quem non extulit,
Ad hunc honorem sors; sed Æquitas, Fides,
Doctrina, Pietas, unica & Prudentia.
Neu morte raptum crede: qui unica brevi,
Vita perennes emerit duas: agit
Vitam secundam cœlites inter animus.
Fama implet orbem, vita quæ illi tertia est,
Hac positum in Arâ est corpus, olim animi domus;
Arâ dicata sempiternæ memoriæ.

Hic

Hic gravis Consiliarus & in Reipub: negotijs peritissimus, complurium nobilium liberorū & virtutibus excellentium sobolem, omnes ejus terras, latifundia, possessiones, hæriditario jure occupaturā post se reliquit. Filius autē Franciscus quamvis junior, tamen omnibus reliquis suis fratribus longè doctior, & L: L: Brittanicarum peritior, nobilis Patris sui virtutes, nimirum,; Sapientiam, Doctrinam, Bonitatem, Beneficentiam, successionis & hæreditatis jure possidet potissimùm: Vnde primùm euasit consultus Consultorq; Legum in celeberrimo illo Foro Hospitij Graiensis, & gratiâ apud incomparabilis excellentiæ Reginam Elisabetham excelluit.

Rex autem augustissimus Iacobus eum Equitis aurati dignitate decoravit, constituitq; eum Procuratorem generalem Regium, & postea Advocatum sive Atturnatum generalem designavit: Et propter ejus plane singularem tum eruditionem tum sapientiam, in eorum numerum qui sunt a Consilijs sanctioribus & secretioribus cooptatus est: Quinimò hodierno die succedit nobilissimo Patri, in honoratissimo Reipub: munere, & factus est Custos Magni Sigilli Angliæ, quem perillustrem Magistratum, splendidè magnificè & cum summâ æquitate tenet administratq;.

Illud autē Heroum seu Sepulchrum Patris hoc prǽsente anno (nempe 1617.) sumptibus & expensis ejus honoratissimi filij et successoris D. Francisci Baconis Custodis Magni Sigilli instauratur exornaturq; pulcherrimè.

MEDIOCRIA FIRMA.


HVMFRIDVS GILBERTVS
MILES AVRATVS
Quid Non
GILBERTVS ciues alium deduxit in orbem
Quó CHRISTI imbuerit barbara corda fide

HVNFREDVS GILBERTVS.



VNFREDVS GILBERTVS ſive IILBERTVS Occidentalis Anglus, Eques auratus clariſsimus Deo optimo maximo et Principi ſuæ, piam navaturus operam, religioſo imprimis & planè heroico inſtinctu, et ut populares ſuos et benè affectos promoveret; paganos et infideles miſera Diaboli mancipia miſeratus, quibuſdam probis et religioſis Nobilibus in comitatum et auxilium adhibitis, decrevit non ſolum præamplas illas et ſpatioſiiſsimas Regiones, a promontorio *Floridæ* ad *Aquilonem* protenſas, aperire, ſed etiam ChriſtianamReligionem etChriſtianos Incolas in maximè opportunis illarum Regionum locis plantare, prout in hac Epitome intelliges.

Anno igitur 1563. undecimo Iunij, hic inſignis eques quinq; navibus & celocibus inſtructus à *Cauſettæ* ſinu ſeu ſtatione ſolvens profectionem deſtinavit occaſū verſus: & 20. Iulij littus Terræ noviter repertæ tenuit. Die verò Martis, quierat triceſimus Iulij, venit in pleniorem Novæ illius Terræ conſpectum, & oras legendo provectus eſt, donec ad Inſulam *Pengam*, ad Promontorium *Baccaleau*, *Caput S*ti: *Franciſci* & ſinum *Conceptionis* pervenifſet: ubi occurrit uni è navibus ſuis diſsipatis: Et á promontorio illo ſive *Capite S*ti: *Franciſci* directo curſu progreſſus uſq; dum ad S. Iohannis *Portum* applicuiſſet, ibi etiã aliam è diſperſis ſuis novibus offendit, ingreſſuſq; Portum, in triginta ſex lembos ſive piſcatoria Anglorum Gallorum & Luſitanorum navigia incidit: illarum vero Regionum poſſeſſionem, Regine nomine & ad uſum ejus tenuit, ubi inſignia Angliæ regalia, in plumbo inſculpta ſuper pilam ligneam ceu trophæum erexit: 13 die Augusti ex hoc portu diſcedens conſcendit Myoparonem ſuum.* *Sciurum* dictum et uſq; ad promontorium ſeuCaput de *Raſe velifieatus* eſt: uti etiam ad *Caput* de *Briton*, quæ inter ſe diſtant centum leucas. Inter hæc duo promontoria propter brevia & ſyrtes illorum tractuum repenti-

* The Squirrel.

pentinamq; vim tempestatis, non modò depressa est navis ipsius prætoria cum omnibus classiarijs suis & vectoribus, sed etiam tota classis magnopere periclitata est, & seipsum ægrè ex hoc discrimine explicuit. 31°. die Augusti ob annonæ vestiumq; penuriam, decretum est in Angliam redire: & rediturus quidem erat, prætervectus jam promontorium de Rasa : eodemq; tempore eidem myoparoni *Sciuro* (aliás *Squirrell*) in qua Eques ipse Humfredus vectus est comitem se adhibuit, altera navis,* *Aurea Cerva.* Hæc duo navigia cùm renavigassent 300. leucas (plus minus) ad tractum orientalem prædicti promontorij, domum versus, vehemens & immitis procella eum denuo invasit: quippe maria sursum ad morē fastigiatarum Pyramidum et quasi varij venti concurrerent, assurgebant. Tempestate nondum posita, die Lunæ qui fuit nonus Septembris celox illa in quâ ipse Humfredus strennuus eques vehebatur propemodum submersa est : Aurea verò Cerva animadvertens quanto periculo invehebatur, se propius ad Sciurum admovit, fluctibus quidē rabiosis pene oppressam, tunc temporis verò diuino beneficio, liberatam et classiarijs sive *Epibatis* Cervæ Auræ indicia lætitiæ præ se ferentem: ac præfectus quidē ipse eminentiore loco sedens et librum in manu gestans, vectoribus Cervę Aureæ in hęc verba clamitavit (*A mare æque ac a terra tantundem est ad cælos viæ*) et hoc apophthegma, ut spectatum Iesu Christi militem decuit identidem iteravit. Sed eodem die Lunæ ad horam duodecimā noctis, Sciuri (qui erat a fronte Aureę Cervę) lumina jam extincta visa sunt, et eodem momento celox prædicta ab oceano fuit absorpta : nihilominus qui in Aurea Cerva vehebantur, totam noctem & deinceps sine nulla inter misione prospectabant, donec ad litttora Brittanica pervenissent ; & Cerva quidem Aurea 22. Septembris anno 1583. Falmoutham appulit.

* *anglicè The golden Hynd.*

Magnanimus iste & intrepidus eques, sæpè ante hanc ultimam suam profectionem, illustrem operam Regineę Majestati in diversis regionibus & maximè in Germania inferiore apud Belgas impenderat.

HEN-



Multum CIDNEYO debet BRITTANNIA sed plus
Posteritas inculte omnis Jerne tua

Æ lud

HENRICVS SYDNEIVS.



ENRICVS SYDNEIVS, vir domi nobilis, filius hæres Guilielmi, Sydneij Equitis aurati, ex vetere illuſtriq; familiâ è Ducatu Andegavenſi in Galliâ ſtemma ducens. Ipſe ſub finem regnantis Henrici octavi, ab infantiâ educaus & innutritus fuit in Aulâ Regiâ. Fuit principi Edovardo adeò in delicijs, ut eum, non modò comitem (ſeu ſocium) verũ etiam thori conſortem fecerit. Et quum ille præſtantiſsimus princeps fuit in regali ſolio collocatus, ipſo tertio regni ſui anno, Equitis aurati dignitate eum decoravit & privati Cubiculi primario Cubicularium fecit, ablegavitq; eum ad Henricum, Gallorum Regem non obſtante hoc quod hic optimis ſtudijs addictus generoſus, annum ætatis ſuæ viceſimum primum non exceſſerat. Qua tamen legatione cum ſua ſumma laude perfunctus eſt. Quamprimum ille ſummè pius & religioſus princeps, eſſet morti quã proximus, in conſortis ſui ulnis expirare voluit.

Regina Maria eum amandabat in Hiberniam, & ibi eum Theſaurarij & Iuſticiarij dignitate exornabat: ubi ſe tam honorificè geſsit, ut ab ejus Regni incolis magnum amorem & ſummam laudẽ reportaret; & deinceps, quaternis vicibus (quod eſt notatione digniſsimum) ſit factus Dominus Iuſticiarius.

Anno 1564. Regina Elizabetha illuſtris memoriæ, ei honorem nobiliſsimi Georgiani ordinis aureæ Periſcelidis attribuit, & non ita diu pòſt, dicta Regina, ei VValliæ præfecturam commiſit: quem locum multos annos tenuit. Tribus autem diſtinctis vicibus conſtitutus fuit & miſſus cum imperio proregis in Hiberniam, ac nonne hoc eſt commemorabile? In Hibernia autem inſtauravit et refecit Caſtellum Dublinenſe, et in eo commodum hoſpitium Gubernatori præparauit, ad quem uſum, in hodiernum uſq; diem deſtinatum eſt. Extruxit etiam commoda ſpatia et receptacula (ſive Tablina) in quibus originum Hibernicarum, & antiquitatum monumenta

numenta codicesq; asservarentur, sed anteactis tẽporibus harum rerum cura studiumq; jacuit. Ille complures pontes, & nonnulla oppida in Provincijs Vltoniensi & Conaciensi ædificavit, reparavit, communivit, idemq; in alijs locis factitavit. Hibernica Statuta, nunquam prius publicata, typis committi & excudi curavit. In animo habuit Academiam in Hibernia ad doctrinæ propagationem fundasse, & procul dubio fundasset, nisi à morte præreptus & præventus fuisset. Castellum Ludlovvense in vvalliæ limitibus non sine magnis sumptibus redintegravit, ibiq;, propterea quòd præses esset, habitavit. Multa alia commemorabila gessit in Hibernia, & in limitibus vvalliæ Sæpiuscule legatus est, & missus cum mandatis, in Galliam & Scotiam, imo quandoq; (quod non est ingrato silentio involvendum) bis in uno anno.

Illius nobilia facinora, illustres occupationes, et mores spectatissimi, quę descriptionis compendium non patietur me in præsentia enumerare, extant in posteriore volumne Chronicorum Holinschedensium, excusorum anno 1587. ad quem librum ego lectorem remitto.

Fuit tam pręclarè et heroicè animatus et tam in sermone affabilis, ut mirabile sit quantopere in animos omnium ubicunq; versaretur, influxerit, et favorem eorum sibi conciliarit. Quod ad personæ suæ laudem attinet, ille (quemadmodum eundem chronographum autorẽ habemus) in juventute sua, adeo ipso corporis filo et habitu spectabilis, tam singulari faciei pulchritudine, et vultu amabili commendatus fuit, ut solus Aulę typus, et imitationis exemplar existimaretur: Et hæc, non tam naturæ quàm gratię dona, etiam in ipsa senectute ipsum comitata sunt. Cæterùm, quod est instar omnium, imò quod supra omnia est, ille solidè et ex animo, Euangelium Christi est amplexatus, et in totius vitę suæ curriculo usq; ad extremum halitum, illud ardenti zelo professus est, ut luculentius apparet in quadam Tractatiuncula, quam ipse conscripsit inscripsitq; Pia ad filium suum Philippum Sijdnejum Epistola, Anglicè impressam. Ille

inux-

in uxorem duxit nobilem & ſpectatiſsimam divam Mariam, filiam natu maximam clariſsimi Principis Iohannis Dudle Ducis Northumbrienſis (& ſororem duorum honoratiſsimorum Comitum VVarvvicenſis & Leiceſtrenſis) ex hâc autem uxore multiplicem & nobilem progeniem habuit. Ægrotavit (ut putabatur) ex frigidâ Paralyſi, VVigorniæ ibiq; naturæ ſuum debitum ultimũ perſolvit, & religioſè animam ſuam in manus Chriſti θεανθρώπου Servatoris ſui commendavit, anno Domini 1586. quùm annum ætatis ſuæ quinquageſimum ſeptimũ ageret. Corpus ejus fuit tranſlatum *Wigorniâ. Penſhurſtum* id *Cantio*, ubi cum anteceſſoribus ſuis honoroficè ſepultus eſt, & ſpectabili monumento dormit. Poſt tres menſes ab obitu hujus heroïs, optima heroïna, ejus uxor piè in Domino obdormivit, & ſub eodem Monumento, cum marito, terræ mandata eſt.





Carmen Apollo dedit, belli Mars contulit artes
Sed iuueni vitam Mors rapit ante diem

PHILIPPVS SYDNEIVS.

PHILIPPVS SYDNEIVS, Honoratiſsimi EquitisAurati aureæq; PeriſcelidisHenrici Sydneij filus primogenitus & hæres. Paternarum Virtutum et honorum avidus,ut ita dicam, & rapax fuit. Quas dotes in tenella ætate aſſecutus eſt exercuitq; , adeo ut Imperatrix noſtra *Eliſabetha, b. m.* eum Equitem Auratum fecerit, nec immeritò, nam fuit verè aureus. Primam ætatem agens inAula Regia, maximam partem educatus eſt, & propter elegantiſsimos compoſitiſsimoſq; mores, Illuſtriſsimus Aulicus evaſit, nulli æqualium ſecundus;& interea temporis illam ingenioſiſsimam omnibuſq; admirabilemArcadiam ſuam concepit et edidit.Et hic me a propoſito meo minimè aberraturum exiſtimo,ſi vobis ante oculos propoſuero,quid noſter peracutusEpigrammatiſtes de eo & ejus Arcadia conſcripſerit,

de eo.

QVod ſit ab antiquo tantùm cantatus Homero,
Felicem Macedo *Rex vocat Æacidem.*
O me infelicem! quia tu Divine Philippe,
Felix carminibus non potes eſſe meis.

Qui ſcribenda facit,ſcribitve legenda beatus
Ille, beatior es tu, quod utrumq; facis.
Digna legi ſcribis,facis & digniſsima ſcribi:
Scripta probant doctum, te,tua facta,probum.

de ipſius Arcadia.

IPſe tuam moriens (ſed conjuge teſte) jubebas
Arcadiam *ſævis ignibus eſſe cibum.*
Si meruit mortem, quia flammam accendit amoris;
Mergi,non uri debuit iſte liber.
Jn librum quæcunq; cadat ſententia: nullâ
Debuit ingenium morte perire tuum.

Anno

Anno ætatis suæ xxi°. (quemadmodum pater ejus id ætatis fuit Regijs negotijs destinatus) Legatione missus est a Regina ad potentissimum Cæsarem, Viennæ in Austria. Neque in Curiali vita solùm acquievit & amœnissimis Arcadiæ pascuis se oblectavit, sed etiam ejus generosus et excelsus spiritus in bello militiaque (ad quã adeo propendebat) quid posset, tentare voluit, fuitque tam Marte quã Musis nobilitatus, inde factum est ut hic Heros, propter eruditionem, pietatem et militares laudes possit inter maximè rara hujus temporis ætatisq; exempla numerari. Hac de causa serenissima Regina Elizabetha, eum suo Cautionario seu fiduciario Oppido *Vlissingæ* & *Castello* de *Rammekens* in *Zelandia* honorificè præfecit. Sed (proh dolor) in primo ætatis vere & flore, immatura mors eum vita orbavit. Quippe, in quodam prælio prope *Zutphaniam* in *Geldria* xxij°. Septembris, anno 1586. ictu Bombardico femur vulneratus, insanabilem plagam accepit.

Omnia quæ in ejus laudem scribo parum sunt, tamen si demortui Sydneij decus et famam minus divulgarem vitio mihi verti posset, quum ipse non possim non confiteri, quin nobilissimo Sydnejorum superstitem nomini multis sim nominibus addictissimus atq; obligatissimus.

Diem suum obijt xxiiij°. die post illud mortiferum vulnus acceptum *Arnhemiæ Geldrorum*. Corpus ejus reportatũ in *Angliam*, cum majoribus suis inhumatum est, at funus et exequiæ perhonorificè summaq; solemnitate, tanto Heröe digna concelebratæ fuerunt in Ecclesia Divo Paulo sacra Londini, xv°. Februarij Anno eodem.

IN OBITVM PHILIPPI SYDNEII,

duorum fratrum (tunc) superstitem, Roberti militis (nunc Vicecomitis Lisle) & Thomæ Armigeri (jam defuncti) EPICEDIVM.

S*Is quoq; carminibus nostris celebratior* Heros,
Hac te parte sequi, quà licet, ecce, juvat.
Sanguine fraterno conjunxi viximus una.

Viximus, aut frustra vivitur ulterius.
Fata viam lethi inveniunt, ubi semper acerbum
Imperium Martis, *est quoque* Mortis *idem.*
At raperent nos treis, sinerent, vel vivere nos treis.
Quàm grave conjunctos dissociare, fuit?

NAVIS, QVA ILLVSTRISSIMI Sydneij Corpus Vlissinga Londinum advehebatur, de suo atro apparatu & Nobilitate Vecturæ.

CVR atra sim quæris? SYDNEII ad sydera *rapti,*
En veho per tumidas nobile corpus aquas.
Parcite jam fluctus, adversi parcite venti?
Nobilius corpus num tulit ulla ratis?

Noster Poeta eum hoc subscripto decoravit,

VITA SEV EPITAPHIVM PHILIPPI Syndeij, ad ejusdem fratrem honoratissimum Robertum Vicecomitem Lisle, &c.

QVi dignos ipsi vitâ scripsere libellos,
Illorum vitam scribere non opus est.
Sydneij, in tumulo est, corpus non vita; Philippi
Producit vitam gloria longa, brevem.

Illustrissimus hic Eques Philippus Philippi Mornæi Plessiaci de veritate Religionis Christianæ librum, in vernaculam Linguam vertit.




ROBERTVS DVDLIVS COMES LEYCESTRIÆ BARO DENBIG GVBERN. BELG. VNIT
Droict et Loial
Ingenio Vafer, arte Potens, magnusque fauore
Principis, incertam liquit post funera famam

ROBBERTVS DVDLEIVS.

ROBBERTVS DVDLEIVS, filius illustrissimi Principis *Joannis Ducis Northumbriensis*, hunc primò serenissima Regina *Elizabetha b. m.* creavit Comitem *Leicestriensem*, Baronem de *Denbigh*, anno 1564. et paulo pòst fecit illum Equitem auratum secundũ honoratissimum Ordinẽ Sancti Georgij, idem a Christianissimo Rege signitus est Eques juxtà Ordinem Sancti *Michaêlis*; Deinde factus est Reginalium Equorum Magister; Summus Regiæ familiæ Præfectus seu Oeconomus, & unus ex intimis Consiliarijs Reginæ: et tantopere gratia & favore Principis floruit, ut eum tot honoribus cumulaverit quot sustinendis homo subditus paresse posset: adeo ut, omnes eum tanquam Regulum honorarent, colerent, diligerent, timerent. Et utcunq; aliquorum hominum linguis & calamis fuerit læsus & infamatus, etiamnumq; lædatur & infametur, tamen pro explorato scio, illum non solùm fuisse in procuratione Reipub: egregium subditum, & Conciliarium prudẽtissimum, sed etiam potentem Euangelij fautorem & ferventissimum ejusdem Professorem: qui et nobilissimæ Academiæ Oxoniensis Cancellarius factus fuit.

Postquam per multos annos in Aula, gratia, autoritate & favore valulerit, tandem Regina illustrissima eum in *Belgium* transmisit anno 1585. ubi fœderatarum Provinciarum factus est Præses, quam Provinciam ad biennium exercuit, sed a Regina accersitus revocatusq;, Regina jubente, Copijs ejus navalibus adversus Classem Hispanicam, anno 1588. præfuit.

Fuit aspectu venustus, staturâ rectâ & procerâ, facie dignitatis Majestatisq; plenâ, prout hæc effigies vivè demonstrat. Fuitq; in vitæ consuetudine comis & amabilis.

Quamquamq; famosissimus noster Φιλαρχαῖος in suis usq; adeo affectatis operibus pronuntiat, illum nulla bona opera

opera nec quicquam memorabile præter ſolam magnitudinē poſt ſe reliquiſſe, aut poſteris commendaſſe, tamē certò ſcio, et quis neſcit, eum nobile *Gerontocomium*, in oppido *Warwico* extruxiſſe, ſtipendiòq; dotaſſe. Inibi multi pauperes utriuſq; ſexus aluntur et catechizantur: Hoc opus certe ad Numinis Omnipotentis gloriam tendit, eſtq; inſignis charitatis documentum: Et hæc ſcripſiſſe placuit, quò aculeatum dentati Scriptoris calamum, ſi non colliderem tamen retunderem: ſed ſi jam in vivis eſſet Comes, procul dubio, ejus gratiam aſſentando perinde aucuparetur, ac multorum Magnatum, ejus vivorum Mœcenatum, blanditijs captat, atq; perinde ac jam præſtantiſsimo Heroi defuncto obloquitur. Quod ad me attinet, in Schola Chriſti hoc chriſtianum et charitatis plenum axioma didici, non luctandum cum larvis, nec male loquendum de mortuis, qui placidè in domino obdormiunt.

Ad *Kenelworthenſem* Arcem ſuam profecturus, in via morbum contraxit, et ſpiritum Deo reddidit in Cornburienſis Vivarij diverſorio in Comitatu Oxoniæ, anno 1588. Corpus ejus ſepultum jacet, in Templo D. Mariæ VVarvvicenſi, et ibi religione et virtuibus præcellentiſſima Comitiſsa Leiceſtrenſis, ejus quondam uxor, pulcherrimum Monumentum ei nuper conſtruxit: Et habet hanc Inſcriptionem ſuperinpoſitam;

DEO VIVENTIVM S.

SPE CERTA RESVRGENDI in Chriſto, Hic ſitus eſt illuſtriſsimus Robertus Dudleius (Ioannis *Ducis Northumbriæ, Comitis Warwici, Vicecomitis Inſulæ, &c. filius quintus*) *Comes* Leiceſtriæ, Baro Denbighiæ *Ordinis tam Sancti* Georgij *quam Sancti* Michaelis *Eques Auratus*: *Reginæ* Elizabethæ (*apud quam ſingulari gratia florebat*)

bat) Hippocomus, *Regiæ Aulæ ſubinde* Seneſchallus, *ab intimis Conſilijs Foreſtarum, Chacearum, Parcorum &c. citra Trentum, Summus Juſticiarius: Exercitus Angliæ, a dicta Regina Elizabetha miſsus in Belgio ab anno* 1585. *ad annum* 1587. *Locum-tenens, & Capitaneus Generalis Provinciarum Confœderatarum, ibidem Gubernator Generalis & Præfectus: Regniq; Angliæ Locum-tenens, contra* Philippū *ſecundum Hiſpanum numeroſa claſse & exercitu Angliam* 1588. *invadentem: Animam Deo Servatori reddidit, anno ſalutis* 1588. *die* 4. *Septembris:*

Optimo & chariſsimo marito mæſtiſsima uxor Letitia *Franciſci* Knollis *Ordinis Sancti Georgij Equitis Aurati & Reginæ Theſaurarij Filia, amoris & conjugalis fidei ergo Poſuit.*





Dux belli AMBROSIVS nulli pietate secundus
Vt iuuat innocēs sic armis territat hostes

AMBROSIVS DVDLEIVS.



MBROSIVS DVDLEIVS, unus ex filijs natu maximis inclyti Principis Ioannis Ducis Northumbrienſis, Regina Elizabetha b. m. primò eum in ſecundo anno Regni ſui Tormentorum ſive Machinarũ Bellicarum Præfectum conſtituit. In quarto anno Regni ſui Baronem Inſulæ ſive Liſle & Comitem VVarvvicenſem eum creavit: et in eodem anno ille cum magno Exercitu miſſus eſt a Regina in Normanniam Gallorum, & ejuſdem exercitus fuit conſtitutus Archiſtrategus & Imperator, ubi paulo poſt ejus appulſum ad Novum-Portum contra Gallos ſeipſum tam prudentem, animoſum atq; ſtrenuum præbuit, ut nimis foret prolixum & plane extra ſcopum meum rem geſtam exponere. Nihilominus ibi (proh dolor) miles quidẽ Gallicus ſordidiſsimus ejus femur glande ſeu globo inſidioſè tranſfixit: tamẽ Deo juvante, ex illo vulnere convaluit & in Angliam redijt: deinde Regina optima eum aureæ Periſcelidis ordinis Georgiani honoratiſsimi inſignivit inſigijs. Ann° Domini 1569. & XII°. Regni ſui, illum (una cum Heroe Edovardo Clintone Angliæ Archithalaſſo) cum Copijs adverſus Perduelles in boreali Regni parte, putà Northumbriæ VVeſtmorięq; Comites miſit: & in hoc militari munere ſe tam ſapienter & ſtrenuè geſsit, ut iſtos duos rebelles-Comites fugere & aufugere in Scotiam compulerit.

Mihi ergo licet de hoc ſplendiſsimo Comite verè dicere, eum fuiſſe virum prudentem, ſolertem, politicum, bellicoſum & præſtantiam animi in prælijs oſtendiſſe: eiq; Poetæ verba recta accommodare licet:

Res magnæ non abſq; gravi diſcrimine fiant,
In dubijs prodeſt generoſa audacia rebus:

In decimo tertio anno Regni Elizabethæ, Illa ei dedit

dedit honorabilem Dignitatem primarij Promi Angliæ, & postremò unum ex intimis Consiliarijs fecit.

Ille, quamdiu vixit, Christi Euangelium sincerè amplexus & professus est: fuitq; verę Religionis Zelotis & professorum Euangelicorum Patronus exoptatissimus: & fuit alijs nominibus tam bonus vir, ut *boni Comitis* VVarvvicensis denominationem sortitus fuerit, etiamnumq; sortiatur: Enimvero, fuit semper beneficus, munificus, valdeq; liberalis; & notabilem exercuit Charitatem erga egenos Christi famulos: quippe, annua stipendia multis pauperibus Verbi Divini Ministris anumerari fecit, propter eorum Zelum et industrias Conciones: et varijs ejus modi Charitatis Officijs functus est.

Domum magnificā planè et dignitatis plenam in Hartfordiensi agro ædificavit, et NIN sive NORTHAVV vulgo Northall appellavit (Ea est hodiè sedes honoratissimi Herois Francisci Domini Russelli:)

Ille senectute confectus diem suum obijt sine prole, Londini, in Aedibus Bedfordiensis, Anno Christi 1589. Corpus ejus cum multis solennitatibus et pompis funebribus honorificè sepultum fuit in Templo VVarvvicensi D. Marię sacro, ibiq; jacet, sub pulcherrimo Monumento, cum Majoribus suis, et propè ad Robertum Comitem Leicestrensem ejus fratrem.

Omnia tempus habent.





Te Francisce pio patriam cum deseris exul
Pectore, pro meritis præmia digna capis

FRANCISCVS WALSINGHAMVS,




RANCISCVS VVALSINGHAMVS, ortus familia multis seculis illustri, claritatem generis nobilitate, ingenij præstantibusq; animi dotibus superavit. Puer, ingenuè domi educatus, generosis moribus artibusque optimis animum excoluit. Adolescens, peregrinatus in exteras Regiones, earum Instituta, Linguas, Politiam, ad civilem scientiam Reique publicæ usum didicit; Iuvenis, Exilium Maria regnante subijt voluntarium Religionis ergo. Serenissimæ Reginæ *Elizabethæ, b. m.* matura jam ętate, Orator fuit apud *Gallum*, turbulentissimo tempore, annis compluribus: Rursum, bis in *Galliam*, semel in *Scotiam*, semel in *Belgiam*, super gravissimis Principis negotijs Legatione functus est: eiq; annis sedecim ab intimis Consilijs & secretis fuit, ac triennium Cancellarius Ducatus *Lancastriæ*. Quibus in muneribus, tanta cum prudentia, abstinentia, munificentia, moderatione, pietate, industria & solicitudine versatus est; ut a multis periculis Patriam liberarit, servarit Rempublicā, confirmarit Pacem, juvare cunctos studuerit, imprimis quos doctrina aut bellica virtus commendaret, seipsum deniq; neglexerit, quo prodesset alijs, eosq; valetudinis & facultatum suarum dispēdio sublevaret: Cœloq; assumptus fuit VI°. Aprilis, anno D^ni^.1590. Sepultus jacet in Ecclesia Cathedrali Sancti Pauli London:

EPIGRAMMA,
Vicè Epithaphij VValsinghami;

Sic reticenda domi fido secreta recondis
Pectore, sic discis discutienda foris:
Ut tua sitnè fides dubitem, an prudentia major.
Virtute indubiò hac, magnus utraq; vir es.

RIC-



Neptuni proles, qui magni Martis alumnus
GRENVILIVS *patrias ſanguine tinxit aquas*

RICHARDVS GRENVIL.



ICHARDVS GRENVIL, Eques auratus, Occidentalis Anglus, Devonienſis.

AnnoRedemptionis noſtræ 1585. præclarus hic miles & Navarchus, cum claſſe 7. navium Plimmutha ſolvens, ſub auſpicijs Gualtheri *Raleigh* equeſtris ordinis viri, *Virgineam* verſus vela fecit. Menſe autem Majo, ipſe cum claſsiarijs ſuis anchoris in ſinu de *Muſkito* jactis, terram intra Inſulam *Sancti Ioannis* conſcendit. Vbi prope littus ipſum propugnacula & monumenta cæperant ponere: ibidem etiam novum myoparonem conſtruxerunt; quo perfecto noſter iſte Thalaſsiarcha, ulterius in mediterraneas regionis illius partes progreſſus eſt: ſed deprenſo Hiſpani cujuſdam perjurio, qui promiſerat ſeſe annonam illi & commeatum de integro ſuppeditaturum, omnes quæ undiq; erant ſylvas conbuſsit, & cùm ad propugnaculum jam dictum redijſſet, illud etiam igne abſumſit. Tum verò cùm omnes ad unum ſe ad naves recepiſſent, præfectus ab Inſula S^ti^ *Iohannis* ſolvens vela fecit: et ſubſequente nocte, duas naves onerarias ſive phaſelos Hiſpanorum cepit: quarum una mercibus ſatis opimis onuſta, vectoreſq; habuit: nonnullos magni nominis *Hiſpanos*: Quos grandi ſatis pretio redemtos in S^ti^ *Johannis Inſulam* expoſuit. Ac deinceps in altum velis paſsis provectus, circa Iunij menſis initium appulit, jactiſq; anchoris ad *Iſabellam* in *Hiſpaniola* inſula ſtetit. *Iſabellæ* præſes cũ paucis alijs Hiſpanis, ad littus deſcendit, & colloquium cũ præfecto noſtro petijt. Quem quidem Anglorum ſpecioſa comitatum caterva jam terrã tenẽtem Præſes ſatis comiter excepit. Poſt aliquot verò verba ultrò citroq; habita, Præfectus noſter convivium ipſi ſuiſq; comitibus faciendũ curavit. Et repentè convivũ illud in duobus arboretis topiario opere viridantibus frondibus exſtructis opipare

magnificèq; ab Anglis ornatum instructumq́; fuit : fercul àque omnia in vasis argenteis apposita. Quo quidem iam peracto, *Hispani* ut parem gratiam referrent, magnum candidorum taurorum armentum de montibus deducendum mandarunt, singulisque nostrorum capitaneis & generosis singulos equos instauratos : et selectos ex illo numero designarunt tres tauros, quos more suo patrio agitarent & venarentur. Ac ludicrum sanè illud satis gratum et jucundum illis fuit : et tandem tres illi tauri ad unum omnes necati sunt. Tum post varia hinc inde munera honoraria lautiàque data acceptàque multasque merces ex utraq́ue parte permutatas, honorificis verbis insignem benevolentiam & amicitiam prę se ferentibus, Hispanis valedixerunt : qui nostros proculdubiò tam benignè exceperāt, non aliam ob causam, quàm quod sibi ab Anglis metuerent, quos ita validos conspexerunt.

Tum Thalaſsiarcha noster cum comitatu suo præter Insulas *Caicos Guagneuma* & *Sygateo* navibus vectus, ad continentem *Floridæ* delatus est, ubi per lustratis exploratisq́; pluribus & præcipuis illius regionis locis, videlicet, *Woconoma, Poymocha, Secota, &c.* et illic ultra mensem commoratus, Augusto mense naves solvit, & Angliam versus vela fecit, intraq́ue unius hebdommadis spatium Hispanicam navem opulentis mercibus onustam trecentorum doliorum capacem, cepit. In Octobri cum hac præda progressus, ad Plimmutham appulit, relicta post se in *Virginia* majore sociorum suorum parte sub ductu Capitanei *Radulphi Lane* illius coloniæ præsidis.

Postrema Expeditio.

Vt plurès variasque hujus præclari Militis & Navarchi expeditiones resque gestas omittam, Anno 1591. cum in una Reginea navi, quæ † *Vltio* dicebatur Subthalaſsiarcha esset, & casu quodam a reliqua Anglica classe relictus, juxta Insulas Açores sub-

† *Angli[ce]* *The Re-venge*

ſubſiſteret, ab ingenti claſſe Hiſpanica quinquaginta trium ſc. navium oppugnatus eſt, in qua Magnus ille *San-Philippus* mille quingentorum doliorum capax Prætoria navis erat. Et unica cum ei eſſet Anglica navicula, præſenti conſtantiq; animo fortiter ſtrenueq; adverſus quinquaginta tres naves rem geſsit:nonnullas tamen earū in pugna perforavit demerſitq; : Tandem verò,aliquot ſuorum claſsiariorum amiſsis,ipſeq; graviter vulneratus, cùm eſſet, authores illi fuerunt & Capitaneus & Nauclerus, ut ſe Hiſpanis dederent: quod eorum conſilium dedignatus irridensq; prorſus repudiavit, dicenſq ſe vel decies mortem potius oppetiturum, quàm ſemel Patriæ, Reginæ ſuę,et ſibi ipſi dedecus conflaturū,inſultus quindecem magnarum navium ſigillatim eum oppugnantiū, ſuſtinuit.Poſtremò,cùm jam quicquid in navi ſua pulveris tormentarij erat abſumptum eſſet, omnibus ſuis haſtis lanceiſq; diffractis,quadraginta ſuorum militum fortiſsimorum interfectis, et nonaginta alijs vel ægrotis vel graviter vulneratis,malis ad unū omnibus ceteriſq; armamētis in mare è navi diſcuſsis, diſciſsis,laceratiſq;, cùm jam nihil ſpei, opis et auxilij vel virorū vel armorum reliquum eſſet, poſtq; hoc unicū navigiū per quindecim horas cum tam ingenti validaq; claſſe dimicaſſet,fortiſsimus tamen hic Miles conſtanti animo in ſententia,nequaquam ſeſe dedendi perſtitit:Sed multis acceptis vulneribus,jam infirmus et debilitatus, cùm nulla ſpes eſſet vel curationis vel vitæ, invitus in prætoriam Hiſpanorū navem deportatus eſſet:Quo quidē motu et agitatione corporis in lipothymiā incidit:poſtq; verò reſpiraſſet, ipſe Præfectus claſsis Hiſpanicæ ſatis comiter et honorificè eum tractavit, ſuis ipſius Hiſpanis Chirurgis curandum mandavit, et quæcunq; ad ſanitatem recuperandam facerent ſuppeditavit:Sed omnia,proh dolor,in caſſum:nam intra biduum ſentiens mortem inſtare, in hanc ſententiā (uti Ioh: Hu: Lijnschoten retulit) Hiſpanorū idiomate verba fecit. *Hic ego Richardus Grenvil, alacri & quieto animo morior,cum ut verum fidelemq; decuit militem,vitæ meæ curſum*

peregerim, ut qui pro mea Patria, Regina, religione & Honore depugnaverim. Quibus nominibus ex hoc corpore cum summo gaudio alacriter excedit anima mea, æternamq; post se memoriam & famam strenui fidiq; militis relinquet qui suo munere pro sui officij ratione defunctus est. Atq; ita nullum præ se ferens æstantibus tristitiæ vel mæroris signum, 3°, demum die expiravit.

THO-




THOMAS CANDISH ARMIGER
Animum fortuna sequatur
Ignauos Fortuna fugit tu promtus in hos tes.
Pergis, et impauidus prædâ ditaris opimas.

THOMAS CANDISCH.



HOMAS CANDISCH, Armiger, in Agro *Suffolcienſi* natus, Rei Nauticæ expertiſſimus.

Hic vir verè nobilis & de patria ſua pręclarè meritus, *Thomas Candiſch* anno 1585, navem de ſuo adornavit, in qua ipſe Præfectus, cum Richardo *Grēvillo* equite aurato vectus, navigationem ſuſcepit in *Virginiam*: & *Inſulis Canarijs* præternavigatis, pervenit ad Inſulas *Dominicæ*, *Hiſpaniolæ*, & S^ci^. *Johannis*, de *Puerto Rico, Lucaios*, & *Floridam*, in occiduis *Indijs*. Proinde ita erectus, animatus & ad navales res gerendas confirmatus, ſtatim a reditu ſuo, profectionem inſtituit in mare *Auſtrale*, ut deinceps totius terræ ambitum circumeundo obiret. Quam Provinciam fæliciter (ſicut mox docebimus) confecit.

*Anglicè The Deſire *The content *The Hugh Gaſtant

Octavo enim die Iulij 1586. tribus navibus & phaſelis puta, **Deſiderio, Placentia* & *Hugone eleganti* ijſdemque, Epibatis centum viginti quinq; inſtructis, e portu Plimmouthæ ſolvit, quintoq; die Auguſti *Forteventuram* inſulam delatus eſt, ad Caput Blancū, & ad litus *Guineæ*, ad *Sierram Leonam*, ubi multa Maurorum nigrorum oppida in oris & finibus ſita flammis abſumpſit: Triceſimo die Auguſti ultra lineam Æquinoctialem provectus, tranſmiſſo Oceano pervenit ad tractum *Braſiliæ*, cujus oram præterlegens, Inſulam S^ci^: *Sebaſtiani* attigit, inde ad portū *Deſiderij* progreſſus, ſexto die Ianuarij anguſtias freti *Magellanici* intravit. 23°. Februarij, mare Auſtrale ingreſſus, & ſecundum litus *Chili* celeri curſu ad Inſulas uſq; *Lamochæ* & de Sta. *Maria* contendit: ubi ſuos in terram expoſuit, & ibi ſalubribus cibis & fructibus ſeſe refecerunt: 28°. die in latitudine 33. graduum nave vectus, terrę motum ſenſit: ſinum *Quinteræ* ſubijt: longoq; curſu litora ſublegens, naves in portum *Marmoranū* ſubduxit; ubi navem magnam et quatuor liburnicas ſeu phaſelos repperit: navis verò ipſius (Contenta*) in ſtationem ſe rece-

*Placentia

recepit,atq; hic magna vis, ad 300.dolia vinorum *Castiliensium* seu *Hispaniensium*,in lintres scaphasq; subducta,ab ęstu & arenis absorpta est:Hinc velis factis ad oppidum Aricam pervenit, & illinc per totam noctē in altum provectus,cepit liburnicam *Quinteranam*,quæ Limam versus ferebatur,ut Proregem de *Candishi* adventu certiorem faceret 6°.Maij duos phaselos commeatu et mercibus onustos potitus est : deinde sinum sive stationem de Parto subijt : oppidum ipsum & quinq; naves incendit : 12°. die Iunij lineam Aequinoctialem transcendit Boream versus, ubi etiam post triduum,tres naves quidem cæpit, sed eas non ita opulentas: 28. oppidū *Aquatulco* attigit,quod statim concremavit:illinc ad maximè Australe Promontorum Insulæ *Caliphorniæ* delatus huc illuc fluitando accessit & recessit, usq; ad quartum diem Octobris, & ibi pulcherrimam navem, cui nomen fuit *Sta Anna Magna*, septingentorum doliorum capacem a Philippinis redeuntem conspexit:qua captâ, naves de suis binas, quadraginta dolijs pręcipuarum mercium oneravit:reliquas verò merces & navem ipsam incendit, quę si asservatæ essent,quamplurimos ditare potuissent: ab Insula *Caliphorniæ* cursum ad *Ladronas* Insulas inflexit,& inde ad *Philippinas*,*Tadaiam*, *Manillā*, *Capullam* profectus est; et ad Insulas *Molluccas* progressus,*Mindano*,*Cebelem*,et *Borneo* prętervectus, vicesimo octavo die fretum Iavæ tam majoris quam minoris penetravit: 16°.Martij,e Iava majore passis velis ad *Caput Bonæ spei* devenit : 7°. Iunij ad Insulam *de Sta.Helena* delatus,ibi seipsum refecit :vicesimo Iunij ex ista Insula excedens reditum in Angliam meditatus: Quarto Iulij 1588. lineam æquinoctialē superavit,vicesimo quarto mensis Augusti. 6. Insulâs *Acores* prætergressus deinceps ad Chersonesum sive promontorium occiduum *Lizard* dictum pervenit. nono Septembris 1588. longa itineratione feliciter confecta, præclarus hic et fortissimus Navarchus ad Plimmoutham applicuit.

Secunda Profectio.

Anno 1591. magnanimus hic et generosus vir a Plimmoutha expeditionem iterum in Oceanum Australem agitavit; infrà dictarum navium nempe *Myoparonis* sive *Galionæ Lecestriæ*, *Capreæ Desiderij*, & duarum Celocium præfectus: ubi post multos navigando exantlatos labores, duo oppida in litore *Brasiliensi* cæpit. Postea, longo & directo cursu meridiem versus instituto, ad fretum *Magellanicum* contendit, sed illud subiturus & ventis adversis præclususn, ecesse habuit secundum tractum *Brasiliensem* renavigare: et Angliam repetere destinans, in ipso reditu vitam cum morte commutavit: corpus autem ejus in Oceano sepultum est.

EPITAPHIVM
Candisij.

Sorte tua poteris si tu vixisse secunda
Contentus, nulli sors magis æqua fuit.
Fortunam tendando iterum, fortuna secundò
Noluit inconstans esse secunda tibi.
Te celebrem Fortuna magis clarere volebat:
Namq; bona clares sorte, malaq; simul.





CARLELVM Gallus, CARLELVM Sarmata laudat
Virtutesque huius Belgica terra probat

CRISTOPHERVS CARLEIL.



HRISTOPHORVS CARLEIL Occidentalis Anglus in Cornubia natus, Rei nauticæ ac Bellicæ peritus: Armiger, Anno 1572. ętatis ſuæ viceſimo ſecundo in militiam proficiſci cupiit, partim quod ea vivendi ratio omnium aliarum profeſsionũ nobiliſsima videretur, & partim quod crederet ſe nullo alio modo potuiſſe tam illuſtrem & neceſſariam operam patriæ ſuæ prę ſtare; præſertim quum illius temporis veterani & exercitati milites ad tantam paucitatem fuiſſent redacti: Proinde anno prædicto, ad Flishingam tranſmiſſo mare, in obſidione *Metelliburgica* ſtipendia meruit, quandiu prælia navalia durarent. *Boiſottus* verò *Principis Auraici* Thalaſsiarcha, hunc tam charum habuit, ut nihil in ſenatu & conſilio agitatum, executioni, niſi ipſo certiore facto et ejus ſententia priùs petita, mandaretur.

Anno redemptionis 1572. navem unam & myoparonem de ſuo habens, petijt Rupellam, ut ſtipendia faceret ſub Condæo Principe, qui tum Barvvaię a Gallorum Rege obſeſsæ, ſuppetias laturus erat: Princeps autem ille Condæus in propria perſona adverſus Regiam claſſem rem geſtaturus; ei Anglicas naves Anglicis nautis et Gallicis militibus inſtructas, credidit et commiſit.

Hac Provincia defunctus, redijt ad oppidum *Stenwijck*, ab Hiſpanica corona cinctum, opem eidem allaturus. Qui etiam inſignis rei gerendę cauſâ, ad propugnaculum de *Swart Sluis*, Anglicæ Cohorti præficiebatur: unde dum inſtructo agmine ad exercitum contendereret, bis mille pedites & ſexcentos equites in itinere adortus, hoſtes fudit fugavitq;, octingentis eorum militibus cęſis & amiſsis. Et quandoquidem Principis illius caſtra ex variarum nationum hominibus tunc conflata eſſent, unde plurimæ turbæ & incommoda exorta ſunt, eò quod plures uno præfecti primarij non adeſſent qui

qui imperarent, idcirco Tribuni militum in unum coacti, Carleilum unanimi consensu præfectum Castrorum et Copiarum constituerunt: ad quam quidem dignitatem dici potest quod licitis et honestis rationibus evectus est. Carleilus *Stenwik* tandem obsidione liberato, ex *Antuerpia* in Angliam regressurus, a Principe & ordinibus confœderatis accersitus Castrensibus Copijs iterum prępositus est: ut in aciem continuò proditurus, complurium Gentium unà Castrametantium præfecturam in se reciperet, usq; dum Iohannes *Norrisius* eques auratus & Imperator scientissimus sibi adjungeretur.

Anno Domini 1582. summus Moscoviticę classis pręfectus designatus est: quod Rex Daniæ tributum se vecturæ comeatusq; nomine impositurum esse minabatur. Quæ classis Regis Danici navibus occurrit: animadvertentes verò quam parum ipsas moraretur, eam absq; tantilla insecutione incolumem abire permiserunt. Et cum attigisset oppidum S[ti]. *Nicolai* in *Moscovia*, ibi Legatus ab *Imperatore Russiæ* missus, cum mandato in Angliam eundi, eum præstolabatur: qui se prædicti, Pręfecti sive Thalassiarchæ regimini committens, ab eo ad Reginam (*Elisabetham b. m.*) deductus est. Anno 1584. Iohannes *Perrot* Prorex Hiberniæ ejus fidei Præsidium Colrainense, Regionesq; de Route custodiendas, adversus *Hiberno-Scotos*, inde exterminatos commendavit: in cujus provinciæ administratione, Proregi & Senatui Hibernico cumulatè satisfecit.

Anno 1585. ab honoratissimis Dominis Reginêæ majestati a consilijs ex Hibernia evocatus, ut Franciscum Drakum equitem celeberrimum comitatus, copijs terrestribus in expeditione illa Indicâ pręficeretur: in qua, oppida de S[to]. *Iago*, S[to]. *Domingo*, *Cartagena & S[to]. Augustino* capta sunt: quas copias tam peritè rexit, ut hostes (quorum principes, veterani sc. & spectatissimi milites erant) dictitarint, se nunquam prudentiam militarem & Disciplinam bellicam magis ordinatam & compositam, quàm inter milites Anglicanos observasse.

Hic

Hic vir verè nobilis, valde fortis & ad miraculum diligens & induſtrius, in omni re gerenda fælicißimus, &, quod eum non minimè commendabat imprimis probus & honeſtus, Londini, undecimo die Novembris 1593. vitam cum morte commutavit

MARTI-





FORBISHERVS ouans NEPTVNIA regna frequentat
Pro patria at tandem glande peremptus obit

MARTINVS FROBISCHER.



ARTINVS FROBISCHER, in Comitatu Eboracenci natus, Rei Nauticæ peritissimus fœlicicissimusque.

Prima Expeditio ejus.

Ano 1576. ut exploraret fretum illud sive iter quâ per mundi partes *Caurum spectantes *Chinam* navigatur, solvit *Harwico* 28° Ianuarij; et quum præterlegisset *Shetlandias*, direxit cursum ad †Corum (seu occasum solis æstivum:) undecimo Iulij *Islandiam* in conspectu habuit: et deinceps Regionem *Labrador* dictam petijt. Ac complures Insulas maritimas, conspexit quidem, sed propter glacialium Insularum multitudinem littus attingere non potuit: postea se recepit in continentis stationes et portus, ubi aquam sibi suisq; comparavit, navemque suam refecit: quam illius loci agrestes & barrbari qui Salvvagij dicuntur conscenderunt: 27. die Augusti recesst à promontorio *Labrador*, præfectionem vulturnum versus (sive ortum brumalem,) in Angliam instituens, & ad portum Harvvicensem incolumis appulit.

*Sive Corum.

†Sive Caurum.

Secunda Expeditio.

Anno 1577. septimo die Iunij Capitaneus idem sive Navarchus Martinus Frobisherus destinatismum habens, profectionem iterum regiones illas ad Corum sitas suscipere, unâ nave Regineâ, (cui nomen erat Auxilium* & alijs duabus phaselis instructus, Harvvico solvit, ut quâ *Cathayam* itur pleniùs exploraret: ubi prætervectus Insulas *Orcadas* contendit Corum versus (sive occasum solstitialem) & venit in conspectum *Frislandiæ*, glaciei ubi in terram descendere percupiens, ab innumeris insulis impeditus est: illinc oram

*Sive Auxiliatrix. Anglicè the Aite.

continentis petijt, & promontorium quoddam (quem locum *Regineam Forlandiam* denominavit tenuit ad cujus Australem tractum est Insula. Ostium autem illud (seu angustus sinus) qui hanc Insulam & Forlandiam dictam interfluit Frobisheri fretum vocatur: nocte quæ præcessit hujus freti ingressum naves ejus in summum discrimen venerunt propter ingentes illas glaciei insulas, quæ in ejus naves jam illapsuræ, & collisuræ eas longè superarunt. Decimonono Iulij hoc suum fretum introijt, tutamq; stationem nactus terram attigit: ulteriusq; in mediterraneas regionis partes progressus est. In reditu autem, adminiculo duarum navicularum quæ ex suis minimę erāt, penitius illud ipsum fretum penetravit: ubi summam adhibuit diligentiam in omnem illum maritimum tractum explorando: subinde verò propter Barbarorum in illis locis fraudes & astutias, magnum periculum subiturus erat. Illic autem inveneratmetallicū quid, sive rudimentum, auri æmulum, quo cum naves suas onerasset in Angliam illud intulit: sic cum regionis ipsius incolarum & fructuum sive commodorum notitiâ satiatus esset, reversus est & portum *Milfordiæ* subijt 19. Septembris 1577.

Tertia Expeditio.

Præterea Anno 1578, ultimò die Maij, Martinus hic idem Frobishorus classis octo navium prefectus Harvvico solvens, *Metam* incognitam dicto suæ profectionis scopum fecit: & litora prętervectus juxta Plymmoutham & Bristolliam, inde egressus, cursum ad occasum solis æstivum destinavit. 20 Iunij, procul, Frislandiam altam & montosam Insulam, seu regionem, conspexit, in quo tractu innumerabiles eædemq; præruptæ glaciei Insulæ fluitârunt; nihilominùs arte & industriâ usus, ibi in terram expositus est. Secundo die Iulij, iterum terram attigit ad illam regineam Forlandiam fretum ingressus & bolide jactâ ad Comitissæ VVarvvicensis sinum fixis anchoris substitit. Quo quidem temporis momento,

una

una e navibus ſuis quam *Dionyſiam* vocavit, tam miſerè ab inſulis illis glaciatis afflicta et pulsata fuit, ut confeſtim deprimeretur. Præfectus ipſe minutiſsima ſua navigia ulteriùs propulit, et ſinum qui *Iackmanni* ſinus dicitur, aperuerunt. Interim verò procella coorta eſt, et propterea quod glacies tam vehementer naves illiſit coactus eſt in oceanum renavigare .30 die præfectus ſuas naves in illum Comitiſſæ VVarvvicēſis ſinum ſive ſtationē reduxit, & ibi ad anchoras ſteterunt, e illiuſq; metalli onera in navigia importarunt: multi nobiles qui ſe huic Duci comites adjunxerant, generoſa quadam animi inductione hic habitare ſtatuerunt, niſi quod commeatus & annona in nave Dionijſia jam perijſſet. Cùm ex iſto freto excederet, magna tempeſtas ſubito exorta eſt (prout ipſi navigantes nobis retulerunt) ac parum abfuit quin ad unum omnes inter ſcopulos perijſſent: Præterea, procelloſa hæc tēpeſtas in cauſa fuit quod Claſsis ejus diſtracta eſt: & ipſe præfectus, propterea quod tunc temporis in terram expoſitus eſt, neceſſe habuit domum in navi Gariele ſeſe recipere ac 28. Septēbris in reditu ipſo ex multis procellis eluctatus ad littus Anglicum inter ſillinas, et Bellerium promontorium, Terræ quem dicunt finem, nave ſua applicuit.

Quarta Expeditio.

Anno 1585 Franſcicus Drakus equeſtris ordinis vir, 23. naves phaſeloſq; nactus, profectionem in occcidentales Indias inſtituit: cui ſubthallaſsiarcha (ſive vice admirallius) fuit Martinus Frobiſherus, et ipſe clariſsimus eques auratus; in qua profectione, capta ſunt oppida *S^ti^. Iacobi*, de *Sancto Domingo, Cartagena* & *S^ti^. Auguſtini.* Præterea Anno Domini 1588. hic Frobiſherus, præfectus navis, unius reginalis, quæ* *Triumphus* dicta eſt, in freto, Brittānico cum ingenti illa Armada (ſeu claſſe) Hiſpanica conflixit. Deniq; anno 1594. quando Hiſpani appulerunt prope *Breſtam*, & Arcem extruxerunt *Croido* cognomi- *Triumphatrix angl. The Triumph.*

 natam

natam eamq; tenuerint, Regina Elizabetha eum navibus decem eximiæ magnitudinis, præfecit, ut Portum *Breſtam* defenderet: quam provinciam cum ſumma laude adminiſtravit, non ſolum diſploſis è navibus tormentis æneis, quibus *Caſtellani* infeſtabantur, ſed etiam dum terreſtribus copijs arcem ipſam munitiſsimam oppugnaret; ſed dum hic fortiter rem gereret globulo bombardico proh dolor, ex Arce librato lætale vulnus accepit, veruntamen vivus Plymmoutham deductus, ultimum diem clauſit, et ibi ſepultus jacet.

EPITAPHIVM
ejus.

Juvidit Fortuna tuis Martine triumphis.
Virtutiv vitium hoc ſic ſolet eſſe Comes.
Invidiam tua jam ſuperavit maſcula virtus,
Poſt mortem manet hæc, ſed levis illa fugit.

IOAN-





Qui vicit totiens instructis classibus hostes
Ille vagis HAVKINS vitam relliquit in undis.

IOANNES HAVKINS.



OANNES HAVVKINS, in Comitatu Devoniæ natus, Rei Nauticæ expertiſſimus.

Prima Expeditio.

Anno 1562. multis profectionibus ad *Canarias* Inſulas antè ſuſpectis, ſolvit ex ora Britannica cum tribus Liburnicis & centum claſsiarijs *Sierramq́ Leonam* ad fines Guieneæ attigit: ubi trecentos Mauros quos Nigros vocant cum obtinuiſſet illinc trajecto Oceano, in *Hiſpaniola* ad Portus *Iſabellæ*, *Porto*, *Plata*, & *Monte Chriſti* in Boreali parte Inſulę appulit, ibiq; ſuas merces diſtraxit; & permutatione factà, retulit ſecum coria, Zingiber, Saccarum & aliquot Margaritas, retractiſque e ſtatione naviculis ad Cacos, retulit ſeſe in Angliam 10. Septembris 1563.

Secunda Expeditio.

Similiter, anno 1564. è finibus Angliæ exceſsit, deſtinans iter ad Indias occidentales: & unam è Regineis navibus, Ieſum de Lubecâ dictã, cum tribus phaſelis adeptus, appulit ad *Canarias*; deinceps, trãſijt in fines *Africæ* ad Caput uſq; Blanco, & Caput viride, litoriſq; oram legẽs juxta multas Inſulas Meridiem verſus, varios Maurorũ conatus & inſultus periculoſos cum effugiſset, flumen *Calowſam* intravit: ubi duas Nigrorum Maurorũ Dromadas ſive Carvellas in poteſtatem ſuam redegit: illinc *Sierram Leonam* provectus, ad *Indos* occidẽtales contendit; & primò ad *Dominicam* delatus, deinde *Margaritam Burbarvato*, Inſulam *Curacao*, & flumen Hacha, ubi ſuis in terrã expoſitis, cùm negotiatus eſſet, iter quidẽ ad Hiſpaniolã inſtituit, ſed propter fluenti ſive ęſtus violentiam, ad Inſulam *Pinos* aquam è continenti in naves accepit. Decimo quarto Iunij ad Caput S^{ti}. *Antonij* devectus eſt, ac de-

ac deinde ad oras *Floridæ*; & quia ibi non fuit adaquandi locus, ad Insulam *Cubæ* renavigavit: ubi suo conatu iterũ frustratus reflexit cursum, oram legens ad promontorium Floridæ, secum statuens invenire Gallos, fluminis May incolas, ubi læti & alacres convenerunt, & ab illis locis reditum in Angliam parans 20. Septembris 1565 (propitio Deo) *Padstowam* in Cornubiæ provincia appulsus est.

Tertia Expeditio.

Anno 1567. idem Iohannes Haukinsus profectionem in *Guineam* & Indias occidentales meditatus ab ora Anglicana discessit: sed perlustratis finibus *Guineæ* & egregia illic navata operâ, in quadam oppugnatione telo venenato vulneratus est: nam se adjutorem Regulo ejus loci prebuerat in oppido quodam expugnãdo, ubi octo Maurorum illorum millia habitabant: illa verò plaga relictâ & transmisso oceano, delatus est ad *Dominicam*, *Margaritam* & flumen *Hachæ*, ac oppidum ipsum, quibusdam rationibus inductus vi & armis cepit: illinc ad extremas *Cubæ* oras, sive ab promontorium de *S.io: Antonio* provectus propter turbulentam tempestatem coactus est in sinum sese immittere, & ad *Sanctum Iohannem de Ullua* penetrare. In hac statione, naves cum thesauro satis magno auri et argenti cepit cujus summa bis centũ millenis libris æstimata est, ac universi quidem hujus thesauri compos factus est. Sed dum ibi commorabatur, ingentes naves Hispanicæ numero tredecem Stationem illam ingressæ sunt, quibus certis stipulationibus intrare permis-erat sed Hispani contra fidem de inducijs datam perfidè egerunt; unde prælium acerrimum est utrinque insecutum, adeò ut vix, aut ne vix quidem *Jesus de Lubeca*, & *la Mignion* è statione abductę fuerint. Tamen Naves Hispanorum duas prætoriam sc. et subprætoriam demersit; Sed quum Iesus de Lubeca Haukinsi ipsius

Siue Deliciæ navis nomen.

ipſius navis,globis tormentarijs miſerè laceraretur, coactus eſt eà deſertâ domum in Miniona illa repetere. Ab illo quidem loco in ſinus *Mexicani* intimum receſſum penetravit,ſed commeatu, cibarijs & alio neceſſario apparatu deſtitutus,centù e ſuis claſsiarijs in litus expoſitos, Deo, & ut dicitur fortunæ committere : coactus eſt 18o: demum octobris 1568. fretum *Bahamum* permenſus vicesimo quinto Ianuarij, ad ſinum vulgo *Moūtſbay* in Provincia *Cornubienſi* terram attigit.

Quarta Expeditio.

Anno 1595. Iohannes Haukinſus & Franciſcus Drakus,nunc equites uterq; aurati,in navali præfectura, ex regineo mandato ſocij et Collegæ claſsis viginti octo navium,quarum ſex erant reginales præfecti ex Angliæ finibus ſolventes, Indias occidētales verſus navigabant. Cæterum ad Inſulam quę appelata eſt *S. Ian de puerto (ſive Porta) Rico* magnanimus hic eques Iohānes Haukinſus duo decimo Novembris die,Anno 1596 in Corona,navi Reginea,ſupremum diem obijt, et corpus ejus honorificè oceano mandatum fuit.

FRAN-





Quem timuit sæuis etiam Neptunus in vndis
Et redijt toto victor ab Oceano
Fœdifragos pellens pelago, prostrauit Iberos
DRAKIVS huic tumulus æquoris vnda fuit

FRANCISCVS DRAKVS,



RANCISCVS DRAKVS, natus est loco mediocri in Comitatu Devoniæ, è sacro Lavacro á Fräcisco Russellio postea Bedfordię Comite, susceptus qui prænomenque pro more indidit. Dum adhuc in annis teneris, Pater Protestantium doctrinam amplexus, ex Lege *Sex Articulorum*, ab Henrico VIII°. contra Protestantes lata in questionem vocatus, solum vertit,& in Cantium se subduxit. Hērico demortuo apud Classiarios in Classe Regia locum invenit, ut preces prælegeret,& mox Diaconus ordinatus, factusque Vicarius Ecclesiæ Vpnoriæ ad Medvveagum flumen (ubi Classis statio) præ paupertate filium nauclero vicino tradidit,qui navicula, qua oram legit, & nonnunquā in Zelandiam & Galliam merces devexit, illum ad nautica officia duriter exercuit. Iuvenis gnavus & sedulus, ita seni industriam probavit, ut cœlebs moriens illi naviculam testamento legaverit. E qua cum pauxillum nummorum corrasisset, & acepisset Ioannem Havvkinsum Naves aliquot Plimuthæ apparare, atq; Americam quā *Novum Orbem* vocarunt, cogitare, navicula divendita, eò cum strenuis quibusdam Nautis é Cantio profectus An°.1567.operam & fortunas cum Havvkinso in ea expeditione infiliciter contulit. Angli enim in portu S.Io: de Vllua act Hispanis oppresi, ille fortunis amissis ęgrè evasit.

Prima ejus Expeditio navalis.

Anno reparatę salutis 1572, post primā illam sub ductu Iohannis *Haukinsi* equitis aurati profectionem, ipse suis auspicijs, navi una, cui nomen *Draco,& duobns myoparonibus instructus, ad Indias occidentales navigare instituit; ubi ex improvisò *Nombre de Dios* occupavit: et inter *Panamam* & *Nombre de Dios*, bina mulorum auro & argento onustorum agmina, intercepit: tandemque cūm

*The Dragon.

cùm domus Crucium dictas, magnâ mercium copia refertas, igne absumpsisset, in Angliam eodem anno 1572. reversus est.

Secunda Expeditio.

Decimo quinto Novembris Anno 1577, celeberrimus hic Thalassiarcha, cum quinq; navibus & liburnicis Plimmoutha solvens, Oceanum Meridionalem versus, ferebatur. Vicesimo primo Augusti 1578, fretum *Magellanicum* ingressus est: sexto Septembris, multis illius freti periculis defunctus, mare illud Australe intravit; ubi primum ad *Valparizo* navem unam ditissimam cepit, ad Limam duoderim labefecit: navisq; illius opulentę *Cagafuego* dictæ auro argentoq; plenæ potitus, uti & alterius itidem sericis Chinarum onustæ, continuato cursu *Aquatulcam* petijt, quam otiam interceptam suæ potestatis fecit : 14° Novembris 1578. *Molluccas* attigit. 9° Ianuarij 1579. Insulam *Cælebes* prætervectus est: ubi navis ejus ad scopulam allisa hęsit, sed postea in de sese (divina ope) expedijt : Hinc *Iavam* & ad *Caput bonæ spei* devectus est: tertioq; Novemb. anno 1580, jam intra, triennium totius terræ globo circumnavigato, ad portum *Plimmuthæ* appulit.

Tertia Expeditio.

Anno 1585. magnanimus hic & fortissimus miles Legato suo, sive Locum tenente (ut dicunt) Generali, Christophoro *Carleillo* terrestribus copijs præfecto, sibi adjuncto, Plimmutha profectus, Indias occidentales petijt: & in *Hispania*, ad *Bajonam* & vigo classem applicuit. Inde ad *Insulas Canarias* & de Capo Verde, pervenit; ubi oppidum *Sancti Iacobi* sive *Sant Iägo*, expugnavit : ibiq; quatuordecem dies commoratus est, transmisso de indę ab hac Insula Oceano, ad Indos occiduos ferebatur : in quo itinere, plurimi ex classiarijs suis febri ardente correpti perierunt: Delatus autem ad *Dominicam* & S^ti^ *Christophori Insulam*, in ea suos ægros refecit: Vnde vela fecit

Insulam

Insulam *Hispaniolam* versus, usque ad praeclaram illam & gloriosam urbem de *S.to Domingo*, quam ipsis Calendis Ianuarij cepit, inibiq; integrum mensem commoratus est. Illinc direxit iter ad continentem sive Terram firmam: oras illius legens dum *Cartagenam* pervenisset, quae postridiè adventus seu appulsus ejus, vi & armis capta est: & cum ibi sesquimensem permansisset, Hispani oppidum suum centum quinquaginta aureorum Ducatorum millibus redemerunt: inde trajecit ad *S.ti Anthonij* promontorium, in occidentali Cubae tractu, ubi adaquavit: deinceps promontorium Floridae circumvectus, 28°. die mensis Maij primo mane e litore conspexit Castrum & oppidum *S.ti Augustini*, quę utraque expugnavit. Hic (proh dolor) castrorum praefectus Capitaneus Anthonius *Powellus*, caput glande tormentaria ictus, expiravit. Inde cursum Boream versus deflexit, eo consilio ut Anglos incolas a Gualtero *Raleigh* equite aurato in *Virgenia* plantatos inveniret, quos nactus, secum in *Angliam* deportavit Decimo octavo die Iunij, hac ora relicta, Novã Terram praeter legens, postea 28° Iulij 1586 tutus & incolumis *Potes Moutham* se recepit. In hac expeditione quadraginta Bombardas ferreas & centum aeneas, suae potestatis fecit.

Quarta Expeditio

Anno 1588. mirabili illo anno, in freto Britannico insignem animi fortitudinem exhibuit contra Hispanorum Classem, ubi unam ex maximis navibus Classis Hispanicae cepit, in qua fuit *Don Pedro de Valdes*, quem etiam captivum abduxit.

Quinta Expeditio.

Anno 1589. in *Lusicanica* expeditione collegam sibi habuit in Classis praefectura Ioannem *Norrisium* equitem auratum; ubi *Olisipone* discedens progressus est *Cadeziam*, quo in loco naves Hispanicas instructissimas exussit. Inde ad Insulas *Terceras* provectus, navi opulentissima

lentissima illic capta, in Angliā rediijt. In qua expeditione illustrissimus Comes *Robertus Essexius* sua sponte hosce Thalassiarchas *Olissiponem* comitatus est.

Ultima Expeditio.

Anno 1595. Franciscus *Dracus* & Iohannes *Haukins* jam equites ambo clarissimi & Collegæ, paribus auspicijs (sed parum fœlicibus) classis unius viginti octo navium præfecti, a *Plimmutha* solventes, versus occidētales Indos ferebantur, ubi defuncto jam vitâ Iohanne *Haukinso* ipse expugnavit & in cineres redegit opida *Rivi de Hacha S*t. *Martæ, & Nombre de Dios.* Vnde octingēti e militibus ejus agmine instructo profecti *Panamam* versus sub ductu Thomæ *Baskervilli* equitis aurati, ad oppidum illud occupandum in ipso itinere præclusi & intercepti sunt: deinde, ad oppidum *Puerto Bello*, postea ad Insulam *Escudam*; ubi ægrotare cepit, & ad *Puerto Bellum* seu *Portum Bellum* renavigavit, ibique in navi *Belli Denuntiatio dictâ spiritum Deo reddidit; et 28. Ianuarij 1596. corpus ejus exequijs honrificis Mari ceu sepulchro mandatum est. Postea totius classis procuratio Thomæ *Baskervillo*, ejus Legato (seu locum tenenti Generali) transdita est, qui 28. Aprilis 1596. ad Plimmutham appulit.

* *Anglicè: The Defiance.*

IN PRÆCLARISSIMI HVIVS

Equitis & Thalassiarchæ res gestas ingeniosa hæc quæ subsequuntur Epigrammata reperi.

DRAKE, *pererrati novuus quem terminus orbis.*
Quemq; semel mundi vidit utrunq; latus,
Si taceant homines, facient te sidera notum,
Atq; Polus de te discet uterq; loqui.
Plus ultrà Herculeis inscribas, Drake, *columnis*
Et, Magno, dicas, Hercule major Ego.

Ambitio Draki *nullo reticebitur ævo*
Ambivit Terras, per mare, Drakus *Anas.*

EPITAPHIVM.

RElligio quamvis Romana resurgeret olim,
Effoderet tumulum non puto, Drake, tuum.
Non est quòd metuas, ne te combusserit ulla
Posteritas: in aqua tutus ab igne jaces.

GVIL-





CECILIUS fidei cultor Patriæque Thesauri
Custos. Spes miseris unica pauperibus Æ lud

GVILIELMVS CECILIVS.



VILIELMVS CECILIVS, genere nobilis & ex illustri familia *Sitsillorum* oriundus, multas molestias, & difficultates bonæ conscientię retinendæ causa pertulit, cum Regnantibus *Henrico octavo, Edoardo sexto Reginaq; Maria*, tantæ vicissitudini subjiceretur Religionis causa; Quibus temporibus nullā adeo magnam dignitatē adeptus est. Sed Regina Elizabetha (incomparabilis sanè Principissa) b. m. cum in Regali jam solio collocata esset, viri hujus præstantia penitus perspectâ, primo eum Equestri dignitate exornavit, Epistolis præfecit, & consiliarijs sanctioribus annumeravit: quibus dignitatibus & honoribus ad aliquot annos perfruentem, creavit eum Baronem de *Burghleigh*, & propter præclaras animi dotes, prudentiā summam, fidele consiliū, et egregia merita, summi Thesaurarij amplitudine, et honoratissimi Equestris aureæ Periscelidis sive Georgiani ordinis, honore decoravit: et (quod non est ingrato sepeliendum silentio) unanimi omnium Academicorū consensu applausuq; factus est Cantabrigiæ Cācellarius, quibus honoribus & ornamentis tam sapienter ad multos annos utebatur, ut a Regina secundū (absit verbo invidia) imò maximū hujus Britannici Imperij Columē & quasi alter Atlas videretur. Quod ut liquidius constet, hoc ex auditu accepi, quod Regina Elizabetha, utcunq; Patris sui invictum animum & plane virilem spiritum retinuit, et in ullis animi sui destinationibus, vix ab homine subdito inflecti voluit, tamen in ætatis (præsertim) flexu, et sera senectute (tanquam pia proles a patre amantissimo) ab hoc spectatissimo et sagacissimo Consiliario admoneri persuaderiq; se sustineret: utpote, quē longo usu sapientissimum, fidelissimum, communisque salutis studiosissimum & prudentissimum experiretur. Hic Heros non solum sapuit in Reipublicæ administratione

ministratione, sed etiam suos in Transmarinis Regionibus indices exploratores, &, ut *Ammiani* verbis utar, *Agentes in rebus*, habuit. Horum opera de multis arcanis exterorũ consilijs quorũ cognitio Reipub. saluti & tranquillitati necessaria fuerit, verè tempestiveq; certior fieret: Quin etiam (quod ad laudem ejus maximè faciebat) syncerus fuit Euangelij Professor & in eadem religione firmus constansq;.

Dum in terris agebat, multa misericordiæ & charitatis opera exercuit, quę cum sint tam cognita & conspicua, commemoranda non censeo. Tandem his amplis honoribus sub Reginea Majestate annos quadraginta, aut plus eo, perfunctus, cana jam senectute confectus, morbum contraxit, mortuusq; est Londini anno 1598. & ex voto ejus, corpus cum Majoribus suis in Ecclesia Stanfordiensi consepultum quiescit. Cæterum in Abbatiæ templo sive Collegiata Ecclesia VVestmonasteriensi amplissimũ clarissimumque monumentum ei extructum est, quod hanc subsequentem Inscriptionem habet;

SI queratur quis sit hic vir senex genua flectens, canitie venerabilis, toga Parliamentaria amictus; est

Honoratissimus & clarissimus Dominus Guilielmus Cecilius, Baro de Burghley, summus Angliæ Thesaurarius, Serenissimæ Reginæ Elisabethæ à consilijs sanctioribus, Ordinis Georgiani Eques Auratus &c. qui hoc monumentum uxori & filiæ posuit; placidè ex his terris in cœlestem patriam anno salutis 1598. 4. *die Augusti demigravit. Cuius Exequiæ magno apparatu & tanto viro dignissimæ, hîc sunt celebratæ die* 29. *ejusdem mensis. Corpusq; quod in hac Ecclesia sex dies requievit; Stanfordiam in Ecclesiam Sancti Martini translatum fuit, ubi secundum Christi adventum expectat.*

COR VNVM: VIA VNA.

EPIGRAMMA

De Guiljelmo Cecilio nuper Angliæ Thesaur.
Anno 1596.

P*erparvi sunt Arma foris, stratagemata parvi,*
Sit nisi consilium, *Cæciliusq́ domi.*
Cæcilius velut alter Atlas divinitùs ortus:
Hic humeris Cœlum sustinet; ille statum.

HEN-





Reginæ et Patriæ fidus, Pergratus Vtrique
HERBERTVS Propria in lare quietus obit

AB sculp.

HENRICVS HERBERTVS.



ENRICVS HERBERTVS (Comitis Guilielmi filius hæres) Dominus *Herbert* de *Caerdiff*; succefsit in Comitatu Pembrochienſi poſt obitũ honoratiſsimi ſui patris, anno D^{ni} 1569. & jure materno Dominus *Fitz-Hugh*, *Marmion*, *San-Quintin* & *Roos de Kendall*:

Ob inſignia ſua merita ſummum favorem & æſtimationem Reginę Elizabethæ obtinuit: a qua beatiſsima Regina Eques illuſtris Periſcelidis ordinis *S^{ti} Georgij*, anno D^{ni} 1574. & Regni ejus XVI.° creatus eſt: et factus fuit Ma^{s} ejus in principatu & dominijs VVallię ejuſq; Confinijs Conſilij Præſes ſummus: erat etiam Auſtralis & Septentrionalis VValliæ, itemq; Comitatuum VViltoníæ & Somerſetij Locum-tenens ſive Præfectus. Quibus honoribus cum plurimis rebus honoratè geſtis multis annis fruebatur: Uxorem duxit Mariam unicam filiam illuſtriſsimi Henrici Sydneij inſignis periſcelidis ordinis Equitis, quæ illuſtris Comitiſſa adhuc vivit (& vivat precor diu) Muſarum Religionis & Doctrinæ decus & præſidium: ex qua prolem habuit, clariſsimum illum Erudititionis Religioniſq; Patronum & Honoris Exemplar *Guiljelmum* Comitem Pembrochienſem, nunc Regi noſtro Iacobo a conſilijs, Aulæ Camerarium, &c. et *Philippum*, Comitẽ Montgomerium à Rege Iacobo creatum: nobiliſsimos San-Georgiani ordinis Equites:

Decubuit ille H: C: & diem obijt VViltoni Prętorio ſuo Menſe Ianuar. Anno D^{ni} 1600. Sariſburiæque magnificè ſepultus jacet.

Vn je ſerviraij.

ROBER-



Infelix virtus et ventis vela secundis
Extremâ Comitem tandem oppressêre. ruinâ

ROBERTVS DEVREVX.

ROBERTVS DEVREVX, (filius & Heres Comitis *Gualteri*) Comes Esſexiæ & Evvæ *&c.* à ſereniſsima Regina Elizabetha b. m. ob egregia merita, pluribus honoribus, ut ſuos illos natalitios et hæreditarios miſſos faciam, quàm ipſius Pater decoratus fuit. Etenim, anno 1585. in obſidione *Zutphaniæ* Equitis aurati titulo eſt inſignitus: deinde, anno 1587. Regiorum Equorum Magiſter factus eſt: anno 1588. aureæ Periſcelidis ſive *Georgiani* Ordinis Eques eſt inſtitutus: anno 1589. in expeditione *Portugalenſi* primus & promptiſsimus; pro ipſis Olyſſoponæ Portis fortiſsimum quemq; Civium ad ſingulare certamen provocavit: anno 1591. Anglicarum Copiarum quæ *Galliarum* Regi in obſidione *Rothomagenſi* auxiliabantur Imperator factus eſt: anno 1593. allectus & conſcriptus eſt inter Reginæ Conſiliarios ſanctiores: anno 1596. cepit & diripuit *Cadeziam*, ob quam rem tam feliciter geſtam, totius Angliæ Comes Mareſchallus conſtitutus eſt: et anno 1597. Claſsi ad *Terceras* Inſulas præfuit: Quinetiam Machinarum Bellicarum Magiſter, & Cantabrigienſis Academiæ Cancellarius extitit.

Sui temporis decus Angliæ et Militiæ flos propter tot præclara & illuſtria facinora, per univerſum Orbem Chriſtianum inclaruit. Ad hæc cum ſynceram Religionem virtutemq; ſimul coleret, non mirum ſi virorum Religione & doctrina præſtantium Fautor & Mœcenas extiterit. Patrem ſuum jam defunctum imitatus animum ad Militiam magnoperè appulit: ſemper tamen humani ſanguinis parciſsimus, ut qui alioqui clementiſſmus, et facillimis moribus fuerit: unde mirum in modum, popularem gratiam collegerat, fuit etiam affectatoribus ſuis perquàm beneficus & liberalis. Cujus in laudes et ſplendorem penna mea nequit nimis excurrere aut expatiari.

Poſtea

Poſtea Prorex Hiberniæ factus , eò cum ingentibus Copijs miſſus eſt *&c.* Sed (proh dolor) ſtatim poſt illam inauſpicatam expeditionem , tempora ei cumulatos jam honores & proſperitatis acceſsionem cùm viderent, (quæ ut mihi videtur, aliquantulum popularis auræ captatione contaminata fuerunt , & quis naſcitur vivitque ſine culpa?) miſerandum ejus & bonis omnibus luctuoſum exitium accelerârunt. Proinde ex Legum proceſſu accuſatus et convictus intra Turrim Londinenſem (eheu) ſecuri percuſſus interijt menſe Martio , anno 1601. in ipſo flore ætatis ſuæ anno triceſimo tertio.

Ipſe autem religioſa plane et admirabili animi conſtantia reliquit hanc & meliorem ingreſſus eſt vitam.

Statura erat admodum procerâ & eximiè decorâ, vultu etiam ſuavi & dignitatis pleno.

Summæ jam ſpei & expectationis Filius & hæres ejus Comes Robertus vivit , ut videat eorum infamiam et ruinam, qui Patri ipſius inimiciſsimi inſidias ſtruxerant: in cujus perſona multæ ex clariſsimis Paternis virtutibus relucent et reſplendent.

DE ILLVSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO ROBERTO COMITE ESSEXIÆ, &c.

SI quisquam claret veterum ſplendore parentum,
Aut famam meritus morum probitate perennem,
Profiteatur in his nomen Eſſexius *heros :*
Qui , præclara virûm geſtat monumenta tot , unus,
Quot rarò licuit multis geſtamina ferre ,
Qui intrepidè ob Patriam tot mille pericula paſſus
Quot rarò poterint ulla Aulica corpora ferre.

In

In mortem ejuſdem Comitis.

Quod flumen lacrymis ſatis eſt, quo funera fletu
Faxit, quo fremitu terra Britanna gemat:
Quod ceſſit fatis heros Eſſexius, *heros*
Altionans in quem fuderat omne decus?
Nobilis in primis animoq; & corpore clarus,
Terribilis bello, ſuavis amicitia.
Militibus largus, nec magnificentior alter
Fidum habuit charum, hoſtis ad arma vocans.

EPITAPHIVM
de eodem Comite.

Ecce ſub hoc tumulo ſitus eſt celeberrimus Heros
Qui cecidit, patrij ſpeſq; decuſq; ſoli:
Fama, ingens: annis juvenis: fortiſſimus armis:
Nobilitate potens: relligione pius:
Terra Britanna parens, & teſtis Hibernia lethi,
Triſtia fata gemunt: fortia facta canunt:
Facta togæ, bellive magis, præſtantia mirer?
Optima, pace domi: Maxima marte foris.
Mors fera corpus habet: Cœlo Comes inclyte, vivis:
Vita dicata Deo: mors nova vita, data eſt.

GEOR-





Fortis eques bello, dux imperterritus hosti
Mors nisi victoris sisteret atra gradum

AB

GEORGIVS CLIFFORD.

GEORGIVS CLIFFORD, *Cambriæ* ſive *Cumberlandiæ* Comes, Baro *Clifford Broflet*, et *Veſey*, Dominus de *Skipton* et *Turris Bardeniæ* in Provincia *Eboracenſi*; *Weſtmorlandiæ* ſummus Vicecomes hæreditarius, quibus in honoribus ſuo patri ſucceſſit. Multis expeditionibus & in re navali imprimis fœliciter confectis, Regina *Elizabetha b. m.* Equitibus eum *Georgianis* ſive aureæ Periſcelidis annumeravit. Quiq; ſi jam in vivis eſſet in ſecundum militari laude exellentiũ ordinem aſcribi ſe vix aut ne vix quidem ſuſtineret; illud ſemper Homericum in animo habens αἰὲν ἀριστεύς ἤ καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. Et ne ejus laudes imminuam: ſi terreſtrem navalemq; militiam conſideres, unus erat è ſummis Regni Heroibus (ex ungue Leonem ut dicitur & *Martiam* ex facie prolem facile agnoſceres) & in pleriſq; molitionibus ſuis fœliciſsimus.

In morbum prolapſus eſt ſupremumque obijt diem Londini anno D[ni]. 1605. tertioq; Regni ſereniſsimi Domini Noſtri *Regis Jacobi*.

Eſt commune mori mors nulli parcit honori;

Nihilominus,

Vivit poſt Funera virtus.

ROBER-





Tu pater et patriæ Princeps, Prudentia cuius
Extulit immensum reges populosque BRITANNOS

ROBERTVS CECILIVS.

ROBERTVS CECILIVS, Guiliemi Cecilij Baronis de Burghley &c. filius secundo genitus fuit: a quo in ipsa adolescentia institutus est, et cujus consilijs informatus, brevi didicit perfectissima poltice prudentiæ precepta: cumq; admodum adolescens esset, Equestri dignitate à serenenissima Elizabetha Regina b. m. insignitus; moxq; in Galliam transmissus est (una cum *Henrico* illustrissimo *Comite Derbiensi*, qui Legationem obijt ad Christianissimum Regem) & post reditum, factus est Reginæ Scriba secundarius; pauloque post obitum honoratissimi Francisci *Walsinghami* Equitis Aurati, ejusdē Reginæ Amanuensis primarius & à sanctioribus Regni ipsius Consilijs electus est: Hæc munia & procurationes illustres ei vivente videnteq; Patre ipsius commissæ sunt. In quibus obeundis sese tam preclarè gessit, ut in multitudinis etiam gratiam inflexerit. Postea, Patre defuncto Regina cum Curiæ VVardorum seu Pupillorum & Liberationum præfecit quam fructuosissimam dignitatem, unà eum reliquis honoribus usque ad Dominæ Reginæ obitum tenuit: Augustissimus antem *Rex Jacobus* Regnum Angliæ justâ successione adeptus, & hujus viri præstantia considerata, ejus augmenta & ornamenta non modo non imminuit, verùm etiam ijs accessionem adjunxit: Namq; primò creavit eum *Baronem de Essendon* deinde *Vicecomitem Crambornia*, tertiò *Comitem Salisburiensem*, quartò Equitem juxta honoratissimum Ordinem Georgiani de Periscelide, & postremò summum Thesaurarium Angliæ; quorum munerum et dignitatū amplitudo, ad posteros famam ejus propagavit. Nec contemnendum erat illud decus & silentio prætereundum, quod communibus Academicorum votis suffragijsq; florentissimæ Academiæ *Cantabrigiensis* Cancellarius eligeretur.

Prudentia

Prudentia usq; adeo excelluit, ut eos maximè intimos haberet, qui essent alta mente præditi & reliquis consultiores. Vsus rerum eum sapientem reddidit. Cui autem non constat quod fuerit genere nobilis, & erudita institutione honoratus, è grandevi Patris quasi uberibus a cujus latere nunquam discessit Lac summæ Prudentiæ exuxit. Vnde factum est quod Regina Elizabetha dum vixit: et post noster Rex Iacobus, eum tot suprà memoratis honoribus cumularent. Nec solùm honoribus & dignitatibus eminuit, sed etam Dei gloriam & Euangelicam veritatem in hoc Regno promovere perrexit: Perdiligens porrò fuit in retegendis Conjuratoribus & in nefarijs Proditorum insidijs sceleribusq; deprehendendis, quas nostrates Papistæ conceperant, meditati erant & in actum educere cogitarant. Hinc Papistæ propter hanc diligentiam quam in disseminato quodam famoso Libello severitatem in Catholicos denominârunt, mortem ei intentabant: hunc ipse Libellum eruditè, sapienter & religiosè confutavit: versus duel- *Responsioque ejus tum Anglicè tum Latinè extat.

Ardentem illius pietatem & ferventem charitatem, annua perennisque ejus benignitas Theobaldis exercita demonstrat. Nam multi senectute confecti & emeriti ordinum militarium Ductores, genere nobiles, annuas ibi pensiones accipiunt, *&c.*

Quinetiam nequeo præclarissima ejus ædificia & magnificentissima opera, tam Ruri quàm circa nobilissimam Civitatem Londinensem silentio sepelire: Namq; juxta Tamisis ripas extruxit amplam & sumptuosam domum Cecilij nomen gerentem: et non procul ab ea ædificavit insignissimum illud pulcherrimumque *Peristylium* quod *Bursa Britannica* appellatur *Hatfeldiæ* etiam in agro *Hertfordiensi* magnificum sanè et situ perjucundum Domicilium excitavit, quod ædes *Sarisburiensis* vocatur. His & quibusdam alijs ædificijs non sine effusissimis suis sumptibus Patriam exornavit. Statura

erat parvus, facie macilenta & exili: in reditu ex Vrbe Bathoniæ-Thermarum, menſe Majo, anno 1612. animam efflavit, & Iunio inſequente ſepultus eſt *Matfeldiæ*, juſtis exequiarum honoratiſsimis corpori ſuo exanimi perſolutis.

THO-





SUTTONUM ingenium et locupletem industria fecit
Congestas miseris ille refudit opes.

THOMAS SVTTONVS.

HOMAS SVTTONVS, homo nobilis, natus *Knaithæ* in agro Lincolnienſi (jam eſt ſedes honoratiſsimi Baronis VVillughbey de Ereſ by) ubi in adoleſcentia ſua aliquandiu generoſè & liberaliter educatus fuit, bonarum literarum neq; neſcius neq; expers: In juventutis autem ſuæ flore, ille primum operam navavit Thomę Hovvardo Duci Norfolciæ, & deinceps inſervijt honoratiſsimo Heroi Ambroſio Dudleio Comiti VVarvvicenſi, & poſt modicũ tempus quum in gratia & ſingulari favore eſſet apud prædictum Comitem, & apud ejus nobiliſsimum fratrẽ Robertum Comitem Leiceſtrenſem, Bombardariorum magiſter Borvvici factus eſt, & quum rei militaris ſcientia præditus foret, ad tormentorum & bombardarum bellicarum præfecturam, ibidem evectus eſt. Quam præfecturam perdiu tenuit, & ita, (ut loquuntur) duce fortuna et Comite induſtria magnas pecunias et opes congeſsit, quas eò fœli cius amplificavit quod parcè et frugaliter viveret neque ſuas pecunias luxurioſè aut inaniter profunderet.

Vltimis ſuis temporibus, ſe a cœtu hominum ſubuxit ad pulchrum quoddam oppidulum ſuum Campecaſtelliæ nomine inſigne in Comitatu Cantabrigiæ, utpote qui jam Armiger eſſet: ibiq; ad multos annos habitavit, non adeò magnam familiam nec adeò multos hoſpites alens, nec ſuas opes oſtentans aut ebuccinans: nihilominus ejus ingentes opes paſsim agnoſcebantur, quas adeò amplificavit, ut *opulenti Suttoni* denominationem tandem obtineret. Et jam, quum demirarentur homines, quomodo ille ἄπαις et Hæredum naturalium expers, ampla ſua latifundia et magnas opes diſponere vellet, aut diſpenſare, et quum ſubinde ab amicis quęreretur, ad quem uſum tam innumerabiles pecunias et opes eſſet converſurus, reſpondere ſolitus eſt, ſe, non niſi pauperum et egen-

egentium diſpenſatorem eſſe : et quod verba ejus cum animo & mente congruerent, vitæ finis declaravit, jamq; omnibus eſt pluſquàm manifeſtum: Quippe quemadmodum apud animum ſuum prædeſtinaverat, illuſtre hoſpitium ſeu Gerontocomium fundando & inſtituendo pauperes ſublevare, ita deſtinatum ſuum executioni mandavit: Inprimis enim ad hunc finem aſſenſionem & conceſsionem Regis Iacobi impetravit, quæ fuit & decreto parlamentario (ſive omnium Regni ordinum) confirmata. Et jam dum adhuc ſpiraret & valeret, efficaciter peregit & tranſegit cum Domino Thoma Hovvardo Comite Suffolciæ de pulcherrimo, ſpatioſo, ſumptuoſo & magnificentiſsimo domicilio quod quondam fuit Carthuſiarum ſedes, ſed jam diſſoluta: quod domicilium tandem multis librarum millibus à prædicto Comite acquiſivit, illud in Gerontocomium converſurus. Quum autem eſſet valdè ſenex, & non neſcius, ſuum fatalem diem appropinquare & dubitans, ne injuria & perverſitas pręſentis ætatis, ejus propoſitum charitatis plenũ, fruſtraret, aut anteverteret: omnia aſſecuravit (ut ita loquar) & confirmata reddidit, quatenus & quouſq; per Leges et Inſtituta regni, quovis modo potuerit. Tum ultimam voluntatem et Teſtamentum condidit, ampliſsimum ſanè munificum et extraordinarię beneficentiæ Teſtamentum, in quo (ut ſilentio pretercam, innumerabiles pecunias, ipſius egenis cognatis, affinibus, famulis, aſſectatoribus et multis alijs hominibus legatas) ille maximam ſuarum opum et latifundiorum partem, (quæ ad minimum ſex millibus librarum Anglicanarum annuatim ad Gerontocomium alendum redeuntibus ęſtimantur) in hujus uſum, beneficium & emolumentum, dedit et legavit. Huc accedit quod fidiſsimos et ſpectatiſsimos executores elegit et ſelegit, deſignavitq; multos viros honoratos et ſapientiâ pręſtantes, inſpectatores, Curatores et fidei commiſſarios, ad deſtinati ſui et Teſtamenti firmam executionem. Teſtamento autem cōfecto, lethaliter ægrotavit in domicilio

cilio quodam ſuo, Hackneiæ propè Londinum, et ibi menſe Decembri, anno 1611. expiravit. Non ita multò poſt mortem hujus nobilis Suttoni noſtratis, prædicta domus ab eo acquiſita, converti cæpit & præparari ad tantum Gerontocomium: Et quanquam, ad tempus hæc domus experta eſt opponentes & oppugnatores, qui prętextu legum, circa eam & ejus fundationẽ, Regijs auribus abuſi erant: tamen demum (qui fuit ſpectatiſsimorum fidei commiſſariorum, ardor zelus et fortitudo, Deo eos in tam eximio acto & facto, adjuvante) eadem domus invenit quietam poſſeſsionem, ad ſuprà commemoratum uſum: & multæ librarum centuriæ in hanc domum munificè collatæ ſunt, ut (quemadmodum nunc cernere eſt) Gerontocomij nomen & naturam haberet. In hac domo lxxx. ſenes (quorum plerique anteactis annis fuerant generoſi et Duces melioris notæ) juxta autoris & fundatoris voluntatem quotidie aluntur et paſcuntur ſalutari alimento, tum verbi Divini, tum nutrimenti corporei: Adhæc Ludus Grammaticus ibi eſt inſtitutus, in quo xxx. egeni pueri bonis literis erudiuntur, quibus et de victu et veſtitu ſatis eſt proſpectum. Huc addatur etiã quod multi Officiarij et Curatores, utpote præfectus Gerontocomij, Medicus, Chirurgus, *&c.* ſtipendium annuum ipſis ad vitam et indumenta ſufficiens, ſortiuntur: et quod eſt laude & celebratione digniſſimum, ibidem ſatis amplum ſtipendium aſsignatum eſt erudito Miniſtro, qui bis, ſingulis diebus Dominicis verbum Dei, illi familiæ & ſodalitio prædicat, in ſpecioſo ſacello, in quo etiam ſacra & preces, ſingulis ſeptimanæ diebus, bina vice celebrantur. O pulcherrimum, illuſtre, & beneficum factum; ô nobiliſsimi fundatoris monumentum! cujus beneficio et oportunitate, tot animæ et tot homines, non ad diem, menſem et annum, ſed etiam ad ſeculi conſumationem et ad ſecundum uſq; Servatoris noſtri Ieſu Chriſti adventum, aluntur et ſuſtentantur. Ille, in illo die proculdubiò, in anima & corpore ſuo conjunctim, ex Chriſti Mediatoris gratia,

favore

favore & beneficentiâ , mercedem ſuæ inuſitatæ benificentiæ erga Chriſti membra in terris, accipiet. Interea loci, ejus corpus primò fuit ſepultum in Chriſti Eccleſiâ Londinenſi ſed Gerontocomij ſui ſacello exedificato & perfecto, corpus ejus in hoc ſacellum fuit tranſlatum, & ibi jacet ſubter clariſsimo monumento, ab executoribus erecto & extructo.

Proinde noſtri adverſarij, Papiſtæ, qui tam inſolenter de bonis ſuis operibus gloriantur, in æternum ſilento & conticeſcunto. Namq; non dubito, aut vereor affirmare, nullum in toto Chriſtiano orbe Papiſtam poſſe æmulum, nedum ęquale Gerontocomium oſtendere: imò contendo, quod in tota rerum univerſitate, par Gerontocomium non poſsit reperiri.

IOAN-





Hollandus calamo generosi pectoris ignes
Expressit, faciem sculpta tabella refert.

AB)

IOANNES HARINGTON.

IOANNES HARINGTON, filius natu maximus clarissimi militis Iacobi Haringtoni de Exton in Comitatu Rutlandię, Equestri seu Militis aurati dignitate, multis ab hinc annis à beatissimæ memoriæ Regina Elizabetha insignitus fuit: et ad summam & niveâ canitie venerabilem senectutem pervenit honore, pietate & munificentiâ illustris, cujus laudis illę distinctæ agri *Rutlandiensis* & VVarvvicensis Comitatus Provincię sunt & futuræ erunt testes immortales. Et non est ingrato silentio sepeliendum, quod fuerit in Comitatu Rutlandiæ Præfectus Regius, & ordinatissimę civitati Coventriensi à memoria sive Recordator.

Annis, non ita multis pręterlapsis, Rex *Iacobus Augustissimus* Regnum Angliæ adeptus, et regificè initiatus, primò eum creavit Baronem de *Exton* in agro Rutlandiensi, et deinde, Illum, et Heroïnam ejus spectatissimam, selegit in unicæ Filiæ Divæ *Elizabethæ* dilectissimæ tutelam, in cujus Principissæ solicita & perdiligenti educatione quàm honorficè, providenter & munificè se gesserit, nemo est qui ignorat. Huc accedit quòd Diva *Elizabethâ* recenter nuptâ illustrissimo *Comiti Palatino*, visum est Regi, ut hic canus & senectute penè confectus Dynastes, et etiam *Henricus Martinus*, Legum Doctor Advocatusq; Regius & *Levinus Munkius* regij Signeti Clericus, ceu Oratores et judices delegati, pro Regiæ filiæ dote eam in Germaniam comitarentur: quo munere et qua delegatione fideliter et summa cum laude perfunctus (ipse autem Descriptor, sum non tam auritus quàm oculatus testis) at proh dolor, gaudiũ cum dolore junctum est, cùm alij proceres et primates in Angliã reverterentur, suæ legationis eventum Regi renuntiaturi hic grandęvus Dynastes Haringtonus unius diei itinere, *Heidelberga Angliam* versus, regressus, (nescio quô fato & quo infausto omine) morbum contraxit, & intra

M pau-

pauculos dies *Wormatiæ* XXIIII. die mensis Augusti, qui fuit S. Bartholomeo sacer anno 1613. religiosissimè expiravit: quasi (ut ita loquar) ille solus hoc haberet privilegium, ut Principis fœlicitatem in cœlo primus annuntiaret: obijt anno ætatis suæ septuagesimo tertio. Corpus ejus transportatum est & transmissum in Angliã, & inter Majores Extoniæ terræ redditum. Longe plura possent de ejus vita, meritis in patriam, innocentiâ & beneficentiâ subjici & adjungi, sed hoc beato Heröe relicto, me converto ad juvenem Dynastam, ejus filium.

Is est *Joannes Haringtonus* de Exton Eques nobilissimi ordinnis Balneæ, & in Provinciola Rutlandiensi Locum tenens (seu præfectus) Regius, solus unicusq; suprà memorati Heröis *Haringtoni* filius et hæres fuit: de cujus sanctissmâ & religiosissimè traducta vita dicturus & scripturus cælesti calamo opus habeo, & quamvis non fuerit ætate provectus, tamen immensus laudum campus mihi patet & sese offert. Dicam igitur breviter & brevius quàm tantæ laudes dici queant. Quàm primum adultus factus est & ad prudentiam pervenit, quotidie, & mane & vesperi, officia Religionis & pietatis precando, lectitando, meditando, exercuit: et alias horas ad humanitatis politioris studia seposuit. Sed quod in eo maximè rarum & singulare fuit, in fine cujusque septimanæ, scipsum ad examen revocabat, ut cognosceret quo pietatis progressu, quo item defectu vel delicto hebdomadam præteritam consumsisset; et certè constat eum vitæ suæ Ephemeriden (seu Diarium) conscripsisse. Diem Dominicum, tàm publicè quàm privatim religiosissimè observabat: liberalitatem suam pauperibus nunquam clausit, omnibus afflictis et calamitosis fuit perbenignus, et castitate et modestia excelluit, et fuit valdè mitis et affabilis. Quæ animi dotes et probitatis indicia in eo eminentissimè notabantur ab anno 1609. (quando ex itinere *Gallico, Germanico, & Italico* remigravit) usq; ad decimum quintum Februarij diem anno 1613. quo in morbum fatalem incidit. Nec oblivione





Aspice Herois vultu graphicamq; figuram
Ingenium, Mores, pingere nemo potest
Effigiem veræ veritatis, Nobilitatis,
Candoris niuei, Relligionis habes

livione est delendum quod defuncto patre statim disciplinam domesticam composuit, & religiosa instituta suis prçscripsit. Et, (ut unico verbo omnia expediam) tam fuit ab omnibus vitijs immunis, & tantopore omnibus virtutibus præluxit,ut in tam depravato sçculo, omnibus nobilibus adolescentulis Anglis, Typus, Exemplar & speculum proponi posset.

Postquam duodecim integros dies decubuisset, condidit Testamentum suum, & de familia præcepit, et morti vicinus, hæc ipsissima verba ingeminare audiebatur. *O, illud gaudium, ô Deus mi, quando tecum futurus sum!*

Et sic piè et beatè animam suam suo Redemtori Iesu Christo, commendavit, reddidit, edidit, cum quo procul dubio inexplcabili perfruitur gaudio (obijt inquam) 27. Februarij, Kevvæ, non procul a Richmontia; et Extonię in Comitatu *Rutlandiæ* ultimò die mensis Martij ἀμέσως subsequentis, anno *Christogoniæ* 1614. perhonorificè contumulatus est, & ad majores suos aggregatus, dormit.

IN IMMATVRVM OBITVM.

CLARISSIMI SVMMÆQVE SPEI IUVENIS IOANNIS DOMINI HARRINGTON BARONIS DE EXTON DIALOGVS ἐπιτάφιος.

Vita. Mors. Ioh: Dom: Harrington.

Pectore quid dubio, juvenis clarissime, pendes.
An sit vita tibi, Morsve legenda prius?
Pone istud dubium, mitte hanc de pectore curam?
Absolvam hoc dubium, litigiumq; brevi,
Nonne ego morte prior quæ vultu & falce cruenta,
Sanguinlenta comis, & furibunda venit?
Agmina morborum quam mille, pericula mille
Præcedunt: comes his Atropos esse solet.

Hæc bona? quæ tales comites; quæ tanta peregit
Proh! mala, nos tetra falce cruenta necans
Absit: nam bona mors non est, nec dulcis habenda,
Quæ cunctis dira est, terribilisq; viris.
Tuq; adeò minimè (juvenis dulcissime) Lethes.
Ante diem ad pigras ire mereris aquas.
Non tibi frons rugis contracta, aut pluribus annis
Deformis: Tu spes, tu decus omne tuis.
Cæsariem aspicio flavam, lumemq; juventæ
Purpureum: nonné hæc, nonné sepulchra negant?
Hoc corpus validum? florens hæc corruet ætas?
Hæc lanugo genis? Hic decor? hæc species?
Non, non: vive diu: non sunt hæc digna sepulchro:
Non decet hunc nigrum forma decora locum.
Tune Sorores, tu matremvé reliqueris almam?
Quæ sævosq; deos, astraq; sæva vocat.
Mors a te truculenta procul sit: respice memet
Vultu hilari: tu me delige, meq; cole.
Nestora vivendo, vivaces tu quoq; cervos
Vinces: nam vitæ stamina longa trahes?
Copia te rerum cunctarum larga beabit,
Vinces majores divitijsque tuos.
Nec tibi deerit honor, nec magnum & nobile nomen
Dicetur toto nomen in orbe tuum.
Gloriaque Anglorum, columen patriæq; futurus
Serus & in cælos tu rediturus eris.
Et cum connubij jucundum fædus inibis,
Natorum cinget læta caterva latus.
Doctrina Ciceronis eris comparq; Catonis,
Et lingua tu mox Orpheus alter ~~eris~~.
Quodvis ulterius tibi reddam, nec tibi quicquam
Deficiet, quod cor, mensque rogare potest:
Quare si sapias, diram, clarissime Mortem
Effuge, me Vitam corde animoq; pete.

Mors.

VITA eſt hæc fallax: verbis quæcunq; locuta eſt
Ne crede; haud reddet quę tibi pollicita eſt.
Quomodo quæ non ipſa tenet tibi tradere poſsit?
Vmbra quid, aut pulvis, quid dare bulla poteſt.
Illa tibi donet bona, quæ non poſsidet ipſa?
Quomodo quę incerta eſt, reddere certa queat?
Nugatur: certè quicquid jactavit inane eſt.
Sunt bona quę dixit vana, caduca, ſua.
Continuò, illa fluunt, refluunt, velut æquora lata,
Cum valdè ventis ſunt agitata nigris.
Quam brevis, incerta, & multorum plena malorum
Vita eſt, quis quęſo neſcius eſſe poteſt?
Et quantis hæc eſt obnoxia vita periclis,
Quantùm habeat fellis, quotq; venena ferat.
Quid quod ſis juvenis? Iuveneſq; ſeneſq; neceſſe eſt
Vt morte occumbant & ſua fata ferant.
Quid juvat hæc fallax fugitivæ gratia formæ,
Quodq; tibi tenero fulget in ore decor?
Forma roſæ eſt ſimilis, primo ſpectabilis ortu
Quæ cadet & languet, mox fugiente die,
Quid! ſi ſis dives, Cræſoq; opulentior ipſo?
Quid juvat hoc? proſunt quid tibi divitiæ?
Quid ſunt divitiæ? res nempe ſimillima nubi,
Quæ dicto citiùs ſolvitur atque perit.
Quotq; roſas inter ſpinæ naſcuntur acutæ,
In ſe tot curas divitiæ retinent.
Quid quòd ſis magnis clariſq; parentibus ortus?
Quid te nobilitas, quid juvat illa, precor?
Hęc fuget, hęc moritur, non unquam hęc firma manebit.
Ipſa ero nobilitas non peritura tibi.
Sed grave, Vita, mori dixit, Cymbamq; Charontis
Ingredi, & in Stygio degere triſte lacu.
Nugæ: nam quanquam videar furibunda, graviſq;,
Attamen haud forti ſunt metuenda viro.
Eſtnè adeò miſerum moriendo relinquere mundi

Ærumnas : tantis teq; levare malis?
Et pro tot curis tranquillam acquirere pacem,
Lætitijs cunctis proq; dolore frui?
Quid mundũ hunc memorẽ fœdum innumerisq; refertũ
Fraudibus & technis illicitisq; dolis?
Est ubi nulla fides, pietas ubi nulla, nec ulla
Iustitia, aut requies, paxvé adamanda bonis.
Ebrietas ubi regnat iners, ubi crapula summum
Obtinet imperium perniciosa nimis.
Frater ubi fratri, natus patri, mulierq;
Ipsa viro insidias præstruit. Heu miserum!
Quid referam furta & stupra incestusq; nefandos,
Et quæ non linguâ sunt referenda mea.
Quid delatores, falsosq; in crimina testes
Quidq; impostores, sacrilegosq; loquar?
Adde quod instantes casus, quantiq; labores
Immineant cunctis tempus in omne viris.
Mille etiam morbos, simul adde pericula mille,
Quæ impendent ullo non fugienda modo.
Talia si tecum reputes animoq; volutes,
Si penses mundi pondus, onusq; grave:
Non metues vitam hanc tã vanam tam miseramq;
Linquere, nec sævam, me rigidamq; putes:
En ego supremæ portusq; aditusq; quietis:
En ego certa adsum quæ bona certa dabo.
Nempe tuis finem positura doloribus adsum,
Tristitiæ & luctus, en ego meta tui.
Principium vitæ æternæ finisq; fugacis:
Ipsa tibi clavis sola salutis ero.
Certa ideo incertis præfer, vitæq; caducæ;
Et mundi instabilis commoda vana fuge
Inq; sinum venias nostrum, me delige solam:
Vitam namq; dabo, quam dare Vita nequit.

Ioh:

Ioh: Dom: Harrington.

SAt dictum utrinque est; jam tuta silentia detis
Mors me delectat, non mihi vita placet.
Vita etenim, quæ vita fuit, non vita tenenda est,
Sed quæ transibit more fluentis aquæ.
Quid mihi mors oberit? quo me lux ultima damno
Afficiet? vel quid me mea vita juvet?
Nascimur hac omnes lege, ut moriamur abortu
Exitus adproperat: nil stabit, ecce, diu.
Mors melior vitâ: mors ultima meta laborum:
Omnia concludit tristia, fertq; bona.
Quæ dat vita mihi, video ludibria mera,
Et genus & formam, divitiasque simul.
Mî satis exciso defossa marmore terrâ,
Quinq; pedum vel sex, consabricata domus
Sat vixi: jam, jam satis in mortalibus hæsi
Hactenus hîc: nunc nunc mors mihi grata veni.
Nunc cœlos repeto, & summum visurus Olympum,
Ad meliora vocor, me vocat ipse Deus.
Huc adsis cita mors, arcumq; intende, sagittam
Dirige in adversum, me pete: lenta nimis.

Talia dicenti mors telum immisit, eique
Lethifer obrepsit per membra rigentia somnus,
Et: sacer exangui erumpens de carcere tandem
Spiritus, hospitium pertœsus inutile carnis,
Exilit & tenues evasit liber in auras.

ANAGRAMMA.

IOANNES DOMINVS HARINGTONIVS.

Insignis erat (ah) unus honor domi.

INdignum: quid agis Mors pessima quidque facessis
Atropos ô crudelis, ô implacabile numen?
Hæc fecisse decet? tantæne sororibus iræ?
Ah fera; terribilis virgo: imitisque virago.

Nunquam mortali satiabere sanguine nunquam
Nosmet desistes succidere falce nefanda?
Et fera (vah) nimium, nobis nimis invida Erinny
Sed quid ago? Iacet hîc defunctus munere vitæ
Harringtonius ille Domus spes unica magnæ.
Quem tantùm terris fata ostendêre; suiq;,
Iam desiderium patriæq; bonisq; reliquit
Civibus, heu nimium festina morte peremptus.
Sic visum est superis: vix optima quæq; diurnant.
Restat adhuc nobis hæc consolatio verbis,
Quod totus minimè perijt: nam fama superstes
Vivit: & occasum non sentit gloria tristem,
Gloria magna ejus, quo non præstantior alter
Virtutis custos, & cultor relligionis,
Et cum quem dederat cursum Deus, ipse peregit
Heu nimium, nimiumq; brevem: fit vermibus esca
Corpus, at æthereas transcendit Spiritus oras.

Abr: Holland, alumnus S. S. Trin: Coll: Cantabr:



TOMVS
SECVNDVS.

AD VTRASQVE ILLV-STRISSIMAS ET FLOREN-

tiſsimas Angliæ Academias, binos illos Regni oculos Sydera clara, binoſq; Literarum et Religionis purioris fontes, auctoris inſcriptiuncula.

SALVETE Academiæ nobiliſsimæ : tu Cantabrigienſis *& tu* Oxonienſis, *ſive mavis , tu* Oxonienſis *& tu* Cantabrigienſis *Academia (utram ego prius compellarem vix habeo mecum conſtitutum ; ut qui vos ambas æquali (tamen incredibili) amore proſequor.) Utinam mihi contigiſset in alterutrâ veſtrûm univerſitate, literas reconditiores hauſiſse & imbibiſſe. Nihilominùs, ne ſubin-video quidem vobis veſtram præſtantem dignitatem, ſed vobis utriſq; ob ſummam fælicitatem & fæcunditatem, ſummè congratulor. Quippe, vos , ceu* μυριότεκνοι *doctorum parentes & procreatrices, (inter innumeros alios) hos quos ſelegi beatiſsimæ memoriæ Theologos peperiſtis, & in orbis theatrum produxiſtis; & utræ* Athenæ *fuerint prolis numeroſitate fæliciores , vix aut ne vix quidem poſſim demonſtrare.* Deus Opt. Max. *faxit, ut ſine intermiſsione pergatis tales fœtus concipere , parturire, edere. Omnipotenti Iehovæ veſtram fœlicitatem penitus aſcribite , eumq; invocate , ut vobis concedatur , in ſecundum uſq; Domini noſtri* Ieſu Chriſti *adventum (qui in tanta defectione , tepiditate & ſecuritate carnali , non videtur longè abeſſe) tales filios parere & producere, ut tandem plenariam mercedem accipiatis ; me autem (quamvis nihil poſsim veſtræ beatitudini adjicere) perpetuum veſtrum famulum & precatorem profiteor & ſpondeo. Valete, vivete. florete.*



IOANNES COLETVS

Cum colis Aonias exculte COLETE sorores
Te doctos inter posthuma fama refert.

AB

IOANNES COLETUS,

IOANNES COLETUS, (filius Hērici Coleti Equitis Aurati & iterum Dom: Prætoris Londinensis) sacræ Theologię Doctor ex Academia Oxoniensi, & Paulinæ Ecclesiæ Londin: Decanus eruditus, vir fuit magnopere literatus, & in illo caliginoso sæculo vivens, in quo dominabatur papismus, Henrico tamen septimo Henricoq; octavo regnantibus verā religionē amplexus est. Quę ejus synceritas eluxit quidē ex ordinarijs & operosis suis concionibus, maximè vero eminuit concione illa habita coram Henrico Rege octavo cum in Gallias Terrovanæ ad præliū trajecturus erat. Argumentū Concionis fuit *Christianus Miles*: unde ad examen, a Consiliarijs Regis, vocatus est: sed eventus fuit salutaris, nam facti ratione reddita, ita cumulatè Regi satisfecit, ut Rex Calicem vini plenum poscens, dixerit; *Decane, tibi propino, & quem velit quisq sibi suum Confessorem assumat, tu vero eris mihi Doctor.*

Et sanę, hic Paulinæ Ecclesiæ Decanus, Paulino more docens vivensq;, ita D. Paulum familiarem habuit & ejus Epistolas commentarijs suis illustrâvit. Docuit non adorandas Imagines, docuit Christum gratis justificantem, docuit Episcopos non pascentes gregē, esse Lupos, docuit ipse conjugatus, se nusquam reperisse minus corruptos mores quàm inter conjugatos. Naturę suæ impulsu ab istorum tyrannide prorsus abhorruit, qui pro re nihili imò pro vera fide Christi, innocentes & pios tanquam hęreticos comburunt. Irrisit quendam sciolum sed crudelem, teste magno *Erasmo*, qui illud Apostolis Hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem DEVITA exponebat, ac si *de Vita* tollendus essèt. His alijsq; de causis ipsi a Standisio crimen hæreseos intentatum est.

Extruxit et fundavit Scholam grammaticā splendidissimam, Paulinæ Scholę nomen obtinentem, ut centum

quinquaginta tres hominum egenorum pueri, gratis docerentur. Qui ludus literarius hanc habet Inſcriptionem; SCHOLA CATECHIZATIONIS PVERORVM IN CHRISTI OPT. MAX. FIDE ET BONIS LITERIS ANNO CHRISTI M. D. X. Quod evidenter evincit, eum veræ religionis cultorem fuiſſe. Hujus Scholæ gymnaſiarchæ, Didaſcalo et Hypodidaſcalo ſtipendium ſatis liberale aſsignavit, addidit etiam in perpetuum prædià & latifundia, quæ Sodalitij Propolorum Londinenſium quos Merceros vocant, procurationi commiſit.

Eruditus Guilielmus Lilius Anglicanæ Grammaticę Auctor fuit primus ejus Ludi Moderator.

Iacet ſepultus et conditus in Templo Paulino et habet hanc Inſcriptionem Lilianam.

INclijta Ioannis *Londini gloria gentis,*
Is tibi qui quondam Paule Decanus erat,
Qui toties magno reſonabat pectore Chriſtum,
Doctor & interpres fidus Euangelij:
Qui mores hominum multum ſermone diſerto
Formarat, vitæ ſed probitate magis.
Quicque Scholam ſtruxit celebrem cognomine Iheſu,
Hac dormit tectus membra Coletus *humo.*

Diſce mori mundo, vivere diſce Deo.

SCRIPSIT COLETVS.

DE pueerili inſtitutione lib. 1.
Dę moribus componendis lib. 1.
Enerrationũ in Paulum lib. 14.
In Proverbia Salomonis lib. 1.
In Euangel. Matthei lib. 1.
De reformidatione Chriſti lib. 1.
In Symbolum fidei lib. 1.
In precationem dominicam lib. 1.
Conciones Ordinarias lib. 1.
Conciones extraordinarias lib. 1.
Breviloquium dictorum Chriſti
Diſputationem contra Eraſmum Roterodamum.
Concionem ad Clerum, anglicè.

GVIL-



GUILIELMUS TYNDALLUS MARTYR

Te puram docuit Cristi sapientia legem
TYNDALLE Cōstate quæ tibi causa necis

AB

GVILIELMVS TINDALLVS,



VILIELMVS TINDALLVS, in finibus VValliæ natus, in juvẽtute, liberaliter Oxoniæ in collegio *Magdalenæ* institutus & literis excultus est, ubi laudabilem Linguarum scientiam assecutus, cùm imprimis ad magnam cognitionem Divinę voluntatis in verbo sacro patefactæ pervenisset, prima ejus specimina in eodem collegiò edidit, & Minister factus est. In illo autem caliginoso papatus tempore, Veram Religionem amplexatus, Vxorem suam & complureis alios, in ea erudijt. Adhæc, multos eximios Libros Anglicè reddidit, nominatim verò *Erasmi* Enchiridion militis Christiani &c. Cæterùm professionis suæ nomine, cum à pontificijs & Sacrificulis divexatus esset ipse, quò suæ Conscientiæ paci consuleret, solum vertit. Angliaq; relicta transijt, in *Germaniam*, & in Saxonià cum Magno Martino *Luthere*, & Iohanne *Fritho* populari suo sermonem contulit. Quo quidẽ authore & adjutore Scripturas, sacras primiùm in usum rudium & ignarorũ popularium suorũ in Anglicum idiòma transfundere aggressus est: & quum vertisset Novum Testamentum & Pentateuchũ Mosis, hos libros *Hamburgi* imprimi curavit, & unicuiq; eorum eruditas præfationes ascripsit anno 1527, eosq; in Angliam transmisit. Multos alios egregios libros conscripsit Anglicè & aliquamdiu in Germaniam commoratus descendit Antvverpiam in *Brahantia*, ubi complureis mercatores Anglos docuit & veræ religionis cognitione imbuit, sed non diu peregrinatus est priusquam Episcopi Anglicani cum ad incendium descripsissent, Proinde per literas & nuntios ex Angliâ Missos, comprehensus, illinc ut captivus ad Filfordiense Castellum in Flandria, abductus est: propter IesuChristi testimonium & ob professionem Euangelicam, sævissimum Martyrium constantissimè subijt, & in cineres redactus est. Ex-

eſt. Extrema verba quę eloqui audiebatur, hæc erant, *Domine, Regis Angliæ oculos* aperi: In univerſa vitæ ſuæ ratione incontaminatum ſe geſsit, &(quemadmodum Iohannes Foxus Martyrologus literis prodidit) in iſta ultima noſtra ætate, Angliæ *Apoſtolus*, non ineptè dici potuit. De eo plura lege in ejuſdem Foxi Martyrologiò.

SCRIPSIT PRÆTER TRANSlationes S Scripturarum cum Prologo adjuncto hos libros, quorum Inſcriptiones ſequuntur

Obedientia hominis Chriſtiani.
Mammona in juſtum.
Pontificiorum Prælatorū praxis
Commentarius in VII. Matthei caput.
Commentarius in Tracy ultimam voluntatem & teſtamentum.
Reſponſio ad Thomæ Mori Equitis Dialogos.
Doctrina Cœnæ Dominicæ adverſus Morum.
De Sacramento Altaris.
De ſignis ſacramentalibus.
Semita ad Sacras Scripturas ferens.
Duæ Literæ ad Ioannem Frith.
Omnes hi libelli extant una cum duorum Martyrum Sanctiſsimorum Barneſij & Frithi operibus, lingua vernacula in folio.

N 3 IOHAN-





IOANNES BRADEFORD' MAR.

Ut spirat Christum totis iam sensibus, ignem
hunc hostes tentant fascibus opprimere

IOANNES BRADFORDVS.

IOANNES BRADFORDVS, *Mancunij* in agro *Lancastrensi* natus est. Eum in adolescentia Parentes litteris destinarunt, ubi docilitatis & diligentiæ laudibus inclaruit; studioq; & exercitatione tantopere profecit, ut mitteretur ad Academiam Cantabrigiensem, & in Regineo Collegio graduum suorum antiquitate commendatus, eidem Collegio Pręfectus & Præpositus est. Postea etiam temporibus Regis *Edouardi* sexti, Theologiam publicè in Cathedrali Ecclesia Divo Pauli Londinensi sacra professus prælegit, ubi pro temopore ministerium illud non minus doctè quam laboriosè pręstitit. Sed iniquissimis Reginæ Mariæ diebus, propter testimonium Christo ejusq; Euangelio perhibitum flammis absumtus, Martirij Laudem consecutus, est Londini in Campo, seu area, vulgo *Smithfeild* appellata, primo Iulij, anno 1555.

Vltima verba quæ ab eo prolata audiebantur, fuerunt; *Anglia resipisce.* Reliquit nobis accuratissimas adversus Papisticos Prælatos disputationes suas, quæ in Monumentis seu Martyrologio Ioannis Foxi extant, ubi ejus vita & virtutes pleniùs exponuntur. Et hoc Epitaphium sequens in ejus obitum conscriptum reperio;

Discipulo nullo supra licet eße Magistrum:
Quiq; Deo servit, tristia multa feret.
Corripit Omnipotens natum quem diligit omnem:
Ad Cœlum stricta est difficilisq; via.
Has Bradforde *tuo dum condit pectore voces,*
Non hominum rigidas terribilesq; minas,
Sed ne blanditias non vim nec vincula curas,
Tradis & accensæ membra cremanda pyræ.

CONSCRIPTÆ EDITÆQVE SVNT AB EO, LINGVA VERNACVLA.

DVæ Conciones, prima de Resipiscentia,
Secunda de Cœna Domini.
Litteræ quædam ad Symmartyres & alios.
Responsio ad literas cujusdam, utrum liceat Missis, necne, interesse.
Quàm periculosum sit Missas audire.
Examinatio ejus coram Iudicibus Delegatis.
Piæ meditationes, quas in Carcere adhibuit, quæ precula illius dicuntur.
Veritatis Querimonia.
Melanthonem de Precibus, Anglicè convertit.

HVGO





HUGO LATYMERUS *Martir.*


CHRISTVM continuis precibus LATIMERVS adorans
Pro verâ moritur relligione senex

HVGO LATIMERVS.



VGO LATIMERVS, in Comitatu *Leicestriensi* natus, à puero bonis literis inutritus, posteà in Academia *Cantabrigiensi*, ad Doctoratus Theologiæ gradum ascendit, & propter doctrinę abundantiam, regnante *Edouardo* sexto, Episcopus *Wigorniensis* factus est. Fuit semper ad veræ Religionis propagationem promtus & incitatus, unde cruentis temporibus Reginæ *Mariæ*, suo ministerio & Episcopatu exutus, in carceremq; dejectus, et deinceps rogo adjudicatus fuit. Magnam habuit cum priscorum temporum Patre *Polycarpo* similitudinem, si Martyrij formam & verba quæ Octogenarius ille senex & major paulò ante mortem suam locutus est, expendamus. *Fidelis est Deus*(inquit)*qui non sinit nos tentari supra quod possumus* : et paulo post, *Pater cœlestis suscipe spiritum meum.* Consimili modo Pater Latimerus, ita enim appellatus est, constantissimus Christi Martyr et Euangelij testis, *Oxoniæ*, concrematus est, decimo sexto die Octob: anno 1555. Reliquit nobis, tanquam animæ suæ exemplar, Concionum doctissimorûm volumen, è quibus multę fuerunt habitæ coram Rege *Eduardo* sexto, et *Catharina* Ducissa Suffolciensi, quę hodie in manibus hominum teruntur, et sepiusculè Anglico idiomate excusæ sunt.

Plura de illo et vitę ejus ratione, in Martyrologio Foxi.



NICOLAVS RIDLEIVS

Mens ardet CHRISTVM; torrentur viscera flamma
Hæc perit, æternum sed calor ille manet

AB

NICOLAVS RIDLEIVS,



ICOLAVS RIDLEIVS, genere nobilis, et in *Epiſcopatu Dunelmenſi* natus: in adoleſcentia ſua multis clariſsimis virtutibus excultus fuit. Parentes enim Doctoribus eum expoliendum tradiderunt, unde Linguarũ cognitionem ſibi comparavit, et in Academia *Cantabrigienſi* ad Baccalaureatus Theologici gradum provectus eſt; ubi poſteà Aulæ Pembrokianæ Pręfectus fuit. Deinceps verò regnante Rege Edouardo ſexto, Roffenſis Epiſcopus cum eſſet, non ita multò poſt, propter raras animi dotes ad Epiſcopatum *Londinenſem* tranſlatus eſt. Sed miſeris et alieniſsimis Reginæ *Mariæ* (penè amaritudinis dixerim) temporibus, a ſuo miniſterio & dignitate dimotus dejectuſque; ad flammas damnatus, perijt. Poterit ille quidẽ aliquo modo cum Sancto Patre et Martyre *Ignatio* comparari, non modo propter ejus eriditum de Cœnâ Dominica tractatum, ſed etiam quod impius carnifex *Bonerus* Epiſcopus, qui eum ad pernitiem vocavit, magnam affinitatem habuit cum immani illa Bellua quæ Sanctum *Ignatium* devoravit.

Hic delibatus Chriſtianorum flos, Chriſtianæ et Euangelicæ profeſsionis nomine, Martyrium nequaquam detrectavit, ſed eodem die, et eadem horula, Oxonię, cum Hugone *Latimero* in cineres redactus eſt: Noviſsimaq; verba quæ ab ore ejus excepta fuerunt, ſic ſe habent; *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* De eo plura in Foxi Martyrologio habentur.

SCRIPSIT PRÆTER TRACtationem de Cœna dominica, quæ & editâ ſunt, Anglicè.

Collocutio cum Latimero.
Cœnæ dominicæ celebratio.
Amica valedictio, quam cum Oxoniæ in Carcere detineretur, ad omnes ejus verè amicos & fautores conſcripſit.
Lugubris Lamentatio de miſera conditione Eccleſiæ Anglicanæ, propter recentem Euangelij Apoſtaſiam.

IOAN-



IOHANNES ROGERSIVS MART

Te pietas alium IANE: hinc abduxit in orbem
Martyrem vt et patriæ redderet inde tuæ

AB

IOANNES ROGERSIVS,

IOANNES ROGERSIVS, adolescens in Academia *Cantibrigiensi* operam literis dedit, ubi remansit usq; dum veri Christiani Mercatoris hortatu et impulsu, suæ conscientiæ tranquillitati consulturus, regnante *Henrico octavo*, transmarinas regiones petijt : Et quamprimum *Antuerpiam* in *Brabantia* pervenit, Guilielmo *Tindallo* uti et Milone Coverdallo familiariter usus est, qui ambo propter Euangelij professionem exulârunt. Ibi uxorem duxit, et illinc migravit *Witebergam* in *Germaniâ*, ubi, non adeo multo interjecto tempore, tam accuratè Teutonicam linguam edidicit, ut ibi sacros ordines susceperit. Ceterum, Rege *Edovardo Angliæ* gubernaculum administrante, remigravit in Angliam : Et sententia Nicolai *Ridlei*, Episcopi Londinensi, Vicarium *Ecclesiæ Sancti Sepulchri* adeptus, publicus etiam Theologiæ professor in Divi *Pauli Ecclesia* cathedrali Londinensi constitutus est: Sed Regina *Mariâ* omnia invertente, concionari prohibitus est, sed silere non potuit: proinde, magni animi constantia ob Christi Euangelijq; confessionem. *Martyrij* Corona donatus est; quippe, in Campo, *Smithfeild* dicto, quarto die Februarij, anno 1555. combustus mortem obijt: ejus ultima verba fuerunt, *Domine, accipe spiritum meum.*

De eo et vita ejus, plura in Martyrologio Foxi.





LAVRENTIVS SĀDEERVS MAR

Diuino Martir SANDRVS plenus amore
Nec flammas timuit carnificumbe minas

AB

LAVRENTIVS SANDERVS.

LAVRENTIVS SANDERVS, adoleſcens in Collegio *Aetonienſi* ſtudijs literarum incubuit, è quo in Collegium *Regale* apud *Cantabrigienſes* cooptatus eſt : & poſtea tyrocinium apud Mercatorem quendam Londinenſem exercuit : ſed, quum literas prægustâſſet, illud vitæ genus non probavit, & frequenter in lectione verbi Divini verſatus, majoris doctrinæ & cognitionis ſtudio inflammatus eſt; unde amicis ipſius in conſilium adhibitis , Mercatoris exercitium reliquit, Cantabrigiamq; reverſus eſt, quumq; in ſuprà memorato Collegio aliquandiu ſtudia Muſarum recoluiſſet, Theologus & perdiligens Paſtor extitit. Miniſterio autem ſuo, ut plurimùm *Lichfeldiæ* in provincia *Staffordienſi* & in religioſiſsima Civitate *Coventria* in Comitatu *Warwicenſi* functus eſt.

Sed tandem ſanguiſuga *Bonerus* ei ſilentium indixit, eumq; exauctoravit, & de gradu ſummotũ, accivit Londinũ, ibiq in vincula cõjecit: Et, ut verbo expediã omnia, remiſſus *Coventriam*, Chriſti Euangelij defendendi cauſa, faſces & flammas, læto infractóq; animo pertulit , & in Vivario, paulò extra Vrbem ſito, combuſtus eſt. Ad Palam alligatus & flammis ipſum corripientibus , hæc ultima emiſit verba: *Salve ô vita, optata advenis :* octavo Febr: A° 1555. Vide plura de eo in Martyrologio Foxi.





THOMAS CRAMMERUS

Errores CRANMERE tuos tandem vltus. amore
CHRISTI fers flammas. Martÿriumque subis Æ

THOMAS CRANMERVS.



HOMAS CRANMERVS, in Comitatu Notinghamensi ex perantiqua Normannorum prosapia oriundus, in Collegio Cantabrigiensi *Ihesu sacro* institutus, mirabiles in Literis progressus fecit, & perillustrem operam Ecelesię Christi navavit; cujus vitā non solùm in Martyrologio *Foxi* sed etiam in Libro *de Antiquitate Brittannicæ Eccesiæ*, & à doctisşimo Iacobo *Verheideno* in Effigiebus suis, tam graphicè in publicum editam reperies, ut eam etiamsi omnia summa fecero meliùs describere nequeam. Hoc tantumodo accipe: Post mortem venerabilis *WARRANI* factus est Archiepiscopus Cantuariensis a Potentisşimo Rege *HENRICO VIII* Anno Dni. M D xxxij. in cujus amore & favore non minimus erat Magnus ille noster *CRANMERVS*. Et dum vixit Henricus R. hic noster Præsul derasus & imberbis erat: at post mortem Regis barbam alebat prolixam usq; ad obitum; prout hic depingitur. Primusq; ille fuit Archiepiscopus (si unum excipias, Ricardum *Scropium* Eboracensem Archiepiscopum) in Anglia ex legum formula & juridico processu summo supplicio affectus. Nam ut numerum Martyrum augeret flammis Oxoniæ absumptus occubuit xxio. Martij, anno ejus seculi quinquagesimo sexto: Et hæc Epitaphia versusque sequentes de eo reperio;

IN EFFIGIEM THO: CRANMERI Arch Cant: Gualetherus Haddonus.

ET pius & clemens Thoma Cranmere fuisti
Tempora læta dedit, tempora dura Deus.
Tu Testis Christi crudeli addiceris igni,
Nunc duris reddant tempora læta vicem

PALI-

PALINODIA DE D. THOMA Cranmero in Carcere.

TE Cranmere gravis fontem prope fecerat error:
Sed revocas lubricos ad meliora pedes
Te docuit lapsus magis ut vestigia firmes,
Atque magis Christo consociêre tuo,
Utq; tuæ melius studias hærescere causæ:
Sic mala non raro causa fuere boni:
Et bene successit: nam ficta & adultera turba
Illudens alijs, luditur arte pari.
Nempe sic est frustratus fraude papismus:
Et cessit summo gloria tota Deo.

RODOLPHVS SKINNERVS DE ejus Martyrio.

SUccubuit Sanctus præsul Cranmerus inquâ
Pontificum rabie, fraude doloq; perit.
Quod verbo invicto dejecerat ense Papatum
Quod docuit pura quærere mente Deum.
Quodq; ANTICHRISTI subverterat impia regna,
Regna pijs Anglis heu tolerata diu.
Hinc pius & clemens crudeli addicitur igni,
Et dant innocui membra cremanda viri.
Huc ubi jam ventum est, dextram projecit in ignem,
Projectamq; tenens talia dicta dedit:
Primum peccasti primum & sentire dolorem
Debes, ob CHRISTO dextra inimica mea,
Immotamq; tenet dum deflagraverat omnis,
In cineres totam dum cecidisse videt.
Cætera cum pereant flamma (mirabile dictu)
Cor manet illæsum post ubi flamma perit.
Ecce invicta fides inviolabile servat,
Nec medijs flammis Corda perire sinet.

IN MORTEM D. THOMÆ Cranmeri.

INfortunata est fœlix qui numine læso,
Cujsvis gaudet commoditate boni.
Infælix illa est vero fœliciter, orbi
Invisus quisquis tristia fata subit.
Hoc Cranmere probas vitæ præsentis amore
Dum quæris sanctam dissimulare fidem
Et dum Consilijs tandem melioribus usus,
Præponis vitæ funera sæva tuæ.

INTER OCCVPATIONES VARIAS composuit CRANMERVS ediditq; hæc

Catechismum doctrinæ Christianæ.
Ordinationes Ecclesiæ reformatæ.
De ministris ordinandis. lib. 1.
De Euharistia cum Luthero. lib. 1.
Defensionem Catholicæ doctrinæ
Ad veritatis professores.
Iura Ecclesiastica tempore Edouardi R.
Contra Gardineri Concionem.
Doctrinam Cænæ Domini, lib. 5.
Locos Communes ex Doctoribus, lib. 12.
Homilias Christianas
Ad Ricardi Smithi Calumnias.
Confutationes veritatum non Scriptarum.
De non ducenda fratria, lib. 2.
Contra Primatum Papæ lib. 2.
Adversus Purgatorium Papæ lib. 2.
De Iustificatione lib. 2.
Pias Precationes.
Epistolas ad viros eruditos.

SCRIPSIT EX CARCERE.

Contra sacrificium Missæ.
Contra adorationem Panis.
Ad Reginam Mariam.
Et alia quædam.
Bibliorum Translationes Anglicas pluribus in locis emendavit, præfationesq; addidit.





IOANNES BALÆVS

Hostis Romani vehemens Censorque Baalis
BALÆVS. tali fronte decorus erat   Æ lud

CENTVRIAS continentem, Typographo Operino, evulgavit. Quo constat ipsum Bibliothecas plurimas excussisse, easdemq; a tineis et blattis liberasse, legendo, colligendoq; nomina et scripta eorum qui in Britannia omnibus ferè seculis ad annum usq; Christi M. D. LVII. Litteris scriptisque claruerunt. Quo in opere et Romanorum Pontificum Succesſiones, vitas, Exitus summa diligentia explicavit, eaq; Paparum facinora e tenebris eruit, quæ non ita sine Baleo ANTICHRISTI hostibus constitissent. Opera IO. LELANDI Londinensis multùm est hic adjutus: qui Antiquitatum Britannicarum, nominis gloriæq; Patriæ studiosis, et Baleo ipso autore celebris evasit. In Germania vivens amicos sibi maximè habuit *Alexandrum Alerium* et *Ioannem Knoxũ* Scotos, quibus et *Catalogum* Illustrium virorum Scotiæ inscripsit: Sic *Gesnerum, Simlerum*, et *Lycosthenem*, quibus operis partem consecravit: qui postea Bibliothecas suas, Tiguri sæpius editas, Scriptoribus Britannis Eruditionis nomine claris, Baleo autore, auxerunt atque exornarunt. Cui et diligentissimus et omniscius ille *Gesnerus* in amcitiæ symbolum MITHRIDATEM suum, sive de differentijs Linguarum, tum veterum, tum quæ hodie apud diversas nationes in toto Terrarum orbe in usu sunt, Obseruationes dedicavit. Quàm insignis hic Hostis *Rom. Antichristi* fuerit Baleus, cognoscere licet ex *Laurentio Humfredo*, (nostro) Romanarum Papisticarumq; Antiquitatum, indagatore solertissimo, qui ita in suæ onere seu Prophetia Romæ, inter cætera, de Baleo:

Plurima LVTERVS *patefecit*, PLATINA *multa:*
Quædam VERGERIVS *cuncta* BALEVS *habet.*

Hic igitur Baleus is, qui nobis Cacum illum ex impurissima spelunca, latrocinijs, sacrilegijs, nequitijs nefandisq; libidinibus infami, in primis extraxerit.

Obijt in Hibernia in sexagesimo septimo anno ætatis suæ, circa annum Redemptionis nostræ 1558.

BALE-

BALEVS EXTRA REGNUM PAPISTICUM EDIDIT HÆC:

ANglorum Heliades.
Britanniæ Scriptores.
In Waldeni tres Tomos.
Iu Fasciculum Zizaniorum ejusdem.
In Polydori Inventiones Rerum.
In Io: Textoris Officinam.
In Catalogum Capgravi.
In vitas Pontificum Barnes.
Epitomen Lelandi de viris Illust.
Acta Romanorum Pontificum.

Commœdias sub vario Metrorum genere.

Vitam D. Ioannis Baptistæ.
De Christo duodenni.
De Baptismo et Tentatione.
De Lazaro resuscitato.
De Consilio Pontificum.
De Simone Leproso.
De Cœna Domini et pedum Lotione.
De Passione Christi.
De sepultura et Resurrectione.
Super utroque Regis conjugio.
De sectis Papisticis.
Contra Momos & Zoilos.
Proditiones Papistarum.
Contra adulterantes Dei verbum.
De Ioanne Anglorum Rege.
De imposturis Thomæ Becketi.
De magnis Dei promissionibus.
De prædicatione Ioannis.
De Christi Tentatione.
Corruptiones Legum divinarum.
Amoris Imaginem.
Pammachii Tragædias transtulit.


ALIOS LIBROS PROSA ANGLICO SERMONE EDIDIT.

In Apocalypsin Ioannis.
Adversus Impostorem Standicium.
Contra Iurandi Consuetudinem.
Certamen Ioannis Oldcastelli.
Acta Cælibum Anglicorum.
Dialogos quosdam.
Cantiones Christianas.
Contra Baalis Sacrificulos-
Apologiam pro Barnes.
Pro Graio contra Smithum.
Contra Suasionem Papisticam.
Super Annæ Askewe Martyrio.
Ad Elizabetham Regis filiam.
Contra Cleri Cælibatum.
Super Itinerario Lelandi.
De veris Hæreticis.
Locupletationem Apocalypseos.
Expostulationes in Papistam.
In Mantuanum de Morte.
Missam Crapulosorum.
Contra missam Papisticam.
De vocatione ad Episcopatum.
Contra Boneri Articulos.
Super Obitu LVTHERI.
Confessionem Ioannis Lamberti.
Hebdomadem coram Deo.
De Bello Wiclevi contra Papistas.
Episcoporum Alcoranum.
Facetias et Iocos sine certo numero.
Transtulit ex Anglico in Latinum sermone Examinationem Guil. Therp:
Ex Latino in Anglicum, Apologiam Sebaldi Heydẽ contra SALVE REGINA.
Epistolam Ioannis Pomerani ad Anglos.
Opus de Scriptoribus Angliæ & Scotiæ recognitum & plusquam quingentis Autoribus auctum.
Opus Lelandi de viris jllustribus abbreviatum et in quibusdam auctũ.

In Papistarum Regno versans collegit ac scripsit.

Fasciculum ex omnibus.
Scriptores ab Helia.
Scriptores a Bertoldo.
Additiones ad Trithemium.
Collectiones Germanicas.
Collectiones Gallicas.
Collectiones Anglicas.
Varia Doctorum virorum.
Catalogum Generalium.
Spirituale Bellum.
Castellum Pacis.
Conciones Pueriles.
Ad HulliensemSynodum.
Ad quasdam Quæstiones.
Appendices ad Paleonydorum.
Historiam Patronatus.
Historiam Simonis Angli.
Historiam Franchi-Senensis.
Historiam Divi Brocardi.
In Præfationem Fastorum Mantuani.

IOAN-



IOANNES IVELLVS EPISC.

Et sacro pascens populum sermone, et egenos
Annonâ, talis Præsul IVELLVS erat AB

IOANNES IVELLVS,

IOANNES IVELLVS, vir verè *gemmeus*, in agro *Devonienſi* natus , a pueritia literis, linguis et artibus imbutus eſt in Academia Oxonienſi, primū in Collegio *Mertonenſi* , ac poſtea in Collegio *Corporis Chriſti*, ubi gradum baccalaureatus Theologici ſuſcepit. Inſignis, ſuo tempore, fuit Euangelij ebuccinator: Sæviente Regina Maria exulavit, et ut libertatem ſuæ Conſcientiæ ſalvam retineret in Germaniam profugit: Sed Regina Maria fato ſuo functâ reverſus eſt in Angliam, et in Academia prædicta ad Doctoratus Theologici apicem aſcendit; progrediente autem ætate, propter ipſius ſingularem doctrinam et ſcientiam Regina ei Elizabetha b. m. Epiſcopatum *Sariſburienſē* detulit , ubi multos annos præclarè Eccleſiam rexit et Chriſti Euangelium fideliter diſpenſavit : Nec ſolùm Gubernator et Paſtor vigilantiſsimus extitit, verùm etiam multos egregios et præclaros libros exaravit ediditq;, qui tum Anglicè tum latinè extant et væneunt; imprimis verò illam elegantiſsimam et inconfutabilem Apologiam Eccleſiæ Anglicanæ , de qua ſummè eruditus Petrus *Martyr*, in quadam illius Præfatione, jam Apologiæ ipſi annexa, ſcripſit, et quam vehementer laudavit : Ac Martyris quidem verba recitare non pigebit;

Tua Apologia, frater chariſsme , non tantùm mihi, omnibus modis et numeris ſatiſfecit , verum etiam *Bullingero* ejusq; filijs et Generis , nec-non *Gualthero* et *Wolphio* , tam ſapiens mirabilis et eloquens viſa eſt, ut ejus laudandæ nullum modum faciant , nec arbitrantur quicquam hoc tempore perfectius editum fuiſſe, &c.

Hic gemmeus Antiſtes in morē (ut ita dicā) Prophetæ vitæ finē, anno mortem ſuam ἀμέσως præcedente prædixit, in binis literis ad tum Epiſcopum Norivicenſem miſsis, prout lucidè apparet ex Βιολογιὰ ejus a doctiſsimo Lauren-

P tio

rentio *Humfredo* noſtro accuratiſsimè deſcripto; ad quā te, plura videndi et audiendi cupidum remitto.

Expiravit in domo ſua Monkton-farleæ, *Sariſburiæq;* Cives mortem ejus magna lamentatione proſequuti ſunt, anno Dni. 1573. quinquageſimoque ætatis ſuæ: Et in Eccleſia Sariſburienſi in chori meditullio marmoreo lapide ſepultus jacet, cum hac Inſcriptione ſequente.

D.

IOANNI IVELLO Anglo, Devonienſi, ex antiqua Iuellorum Familia Budenæ oriundo, Academiæ Oxonienſis laudatſsimo Alumno: Mariana tempeſtate per Germaniam exuli: Præſuli regnante ELIZABETHA Regina, Sariſburenſis Diœceſeos, (cui per annos xi, menſes ix, ſumma fide et integritate præfuit) Religioſiſsimo, viro ſingulari eruditione, ingenio acutiſsimo, judicio graviſsimo: Pietate, humanitate egregiè prædito, Theologiæ cum-primis cognitione inſtructiſsimo; Gemmæ Gemmarum: jmmaturo fato Monkton-farleæ prærepto, Sariſburiæ ſepulto: Cœlorum Civi; Laurentius Humphredus, Hoc Monumentum, obſervantiæ et benevolentiæ ergo conſecravit. Anno ſalutis humanæ Chriſto merito reſtitutæ. M. D. LXXIII. IX. KAL. *Octob.*

Vixit annos *xlix.* menſes *iiij.*

Pſalm. 112.

In memoria æterna erit juſtus.

IN MORTEM D. IOANNIS IVelli, Ioannes VVolleius in lingua Latina S. R. E. Scretarius.

Hei mihi quàm celeri fugiunt mortalia cursu,
Quæq; minus debet surripit atra dies.
Vivere tu longo fueras dignissimus ævo:
Flende mihi nimium chare Iuelle jaces.
Moribus, ingenio, doctrina, relligione,
Nulla ferent talem sæcula longa virum.

SCRIPSIT EDIDITQVE IVELLVS.

Synopsin seditiosæ Bullæ a Pio quinto in Angliam transmissæ an°. 1569. Anglicè.
Brevem tractatū de Scripturis, Anglicè.
Tractatum de Sacramentis, Anglicè.
Concionem temporibus R. Edovardi habitā, in 1. Pet. cap. 4. ver. 11. Anglicè.
Sex Conciones Reginæ Elizathæ audiente, habitas ad Crucem Paulinam, Anglicè.
Apologiam Ecclesiæ Anglicanæ.
Adversus Thomam Hardingum volumen in quo 77. quæstiones, ex Scripturis et omnium Conciliorum ac Patrum monumentis discutiuntur, ex Anglico conversum in Latinum a Guil. Whitakero.
Replicam adversus Hardingum &. ex Anglico in Latinū convers. a Tho: Bradoco.






DAVIT WHITEHET

Nominis vnatui est ALBVM CAPVT altera pars est
Quadrant in mores scilicet ista tuos
Candidius nihil esse potest nam moribus istis

DAVID WHITEHEAD,



AVID VVHITEHEAD, adolescens in Academia *Oxoniensi* institutus, ac ibi sacræ Theologiæ Baccalaureus extitit: doctrinâ et cognitione instructissimus cum esset, in omnibus locis ad quos accessit, verbum Dei solidè et syncerè prædicavit: Quo nomine, tantum apud Reginam Elizabetham b. m. gratiæ fidei et auctoritatis obtinuit, ut ei *Cantuariensem Archiepiscopatum* deferret, quem ille recusavit; Alio etiam tempore cum eadē Regina illum Hospitilo publico seu Xenodochio prope VVestmonasterium *de Savoy* dicto preficere vellet eam itidem dignitatem respuit, hocq; responsum Reginæ reddidit, *Sibi satis esse de vivendi præsidijs prospectum, seq; suo præsenti statu contentum, velle in vocatione Divinitus sibi imposita, id est Euanglij annunciatione, acquiescere, &c.* In quo apparuit singularis ipsius et penê inaudita, modestia et humilitas: rarum et præclarū hijsce nostris temporibus exemplum, in quibus homines paulo appetentiores honorum eminentiam et fortunarū suarum amplificationem, tam in Ecclesia quam in Repub, potius quâm Dei gloriam venantur et aucupantur: (discite ô mortales) Fuit plus minus septuagenarius, et ex ista vita migravit anno Domini 1571.





R. D. MATTHÆVS PARKERVS

PARKERVS docuit Presul, deîn docta reliquit
Scripta, et Scriptores eruit e tenebris. AB

MATTHEVS PARKERVS,



MATTHEVS PARKERVS, in Civitate *Norwicensi* natus, et in Academia *Cantabrigiensi* Literis expolitus est; ubi primû Βιβλιαναγνώστης, seu Lector Biblicus cum esset in Collegio Corporis Christi, deinceps socius ejusdem Collegij factus est: Postea vero ascitus, ut esset Reginæ *Annæ Bolleniæ* a Sacris, suscepit Doctoratus gradum: At primò ad Decanatum Stokiensem evectus est: Cumq; illa Regina præclarissima in vivis esse desijt, *Rex Henricus octavus* eum fecit Sacellanum suum: *Henrico* autem Rege defuncto, dignus existimatus est qui esset Regi etiam *Edouardo sexto* Sacellanus. Sub utroq; Rege Ecclesiasticas dignitates non vulgares obtinuit; puta, Collegij prædicti Præfecturam, Præbendam Eliensem, et ad extremum Decanatum Lincolniensem: Quæ omnia augmenta ornamentaq; vivente Principe pio *Edouardo* quietè possedit; imò, ante secundum annum jmperitantis *Mariæ*, nullam offensionem vel interpellationem passus est: Tum verò propter ductam uxorem omnibus prædictis honoribus exutus, quamdiu illa Regina vixit inopem obscuramq; vitam agere coactus est. Sed terribili illi Rogo tot eruditione et zelo præstantium consumptore et devoratore in morte Reginæ extincto, et Archiepiscopali sede per obitum Cardinalis *Poli*, vacante, *Reginaq; Elizabetha b. m.* in Regali solio collocata, selegit illa nostratem hunc doctissimum *Parkerum* et in Archiepiscopali sede Cantuariensi constituit, ut qui ei honoris amplitudini propter doctrinæ excellentiam et Religionis puritatem maximè aptus videretur: Inauguratus autem sive ut dicitur installatus fuit xvij°. Decembris 1559. quem honoratissimum locum plusquam quindecim annos tenuit. Per illud vero tempus multa et magnifica Charitatis opera edidit. Civitati enim Norvvicensi, loco natali suo, Po-

lubrum et Gutturneum argenteum bis deauratum, pondus autem erat centum ſeptuaginta tres unciæ, largitus eſt: ad hæc quinquaginta ſolidos dedit per annum, qui quotannis ejuſdem Civitatis egenis et pauperculis erogarentur, curavit autem ut in Ambarvali ſeptimana, ſex anniverſariæ Conciones in quinq; particularibus Norfolciæ Eccleſijs, haberentur. *Rochdaliæ* in agro *Lancaſtrenſi* Scholam Gramatices inſtituit. Collegio Corporis Chriſti ſive Benedicti Cantabrigienſi, ubi Muſis incubuit, triginta Diſcipulatus, ſeu ſtipendia Scholaſtica, præberi fecit, interiorem Bibliothecam ædificavit, multoſq; libros tam excuſos quàm manuſcriptos eoſdemq; rariſsimos ac propter pretium et antiquitatem plurimi æſtimandos, eidē Bibliothecæ conceſsit: Præterea illius Collegij ſtudioſis, trecentas argenti facti bis deaurati uncias: perpetuumq; *Divæ Mariæ de Abchurch London* Patronatum donavit. Hæc et multa alia egregia charitatis opera præſtitit, quæ abſq; prolixitate recitare non potui. Sed inter alia ſingulare ipſius Antiquitatum quæ ad noſtrarum rerum antiquas hiſtorias pertinent conſeruandarum ſtudium ſilentio præterire nequeo: Quippe niſi ejus cura induſtriaq; præveniſſet, pleræq; ex noſtris priſcis hiſtorijs perituræ eſſent. Nomenclaturam librorum quos publicari curavit hic attexere placuit. Expiravit anno D^ni^. 1574. cùm ſeptuageſimum ſecundum annum attigiſſet: Et in Sacrario Lambethani Palatij, ſub plano marmore contumulatus jacet, cum hoc Epitaphio ſequente;

SObrius et prudens, ſtudijs excultus et uſu,
Integer et veræ Religionis amans,
Matthæus vixit Parkerus, foverat illum
Aula virum juvenem, fovit et Aula ſenem.
Ordine res geſsit, recti defenſor et æqui:
Vixerat ille Deo, mortuus ille Deo eſt.

SCRIP-

SCRIPSIT EDIQVE CVRAVIT.

Concionẽ, cum Martinus Bucerus ſepeliretur, ex libro Sapientiæ, cap. 4. ver. 7. ad. 19. Anglicè.

Librum de Antiquitate Cantuarienſis Eccleſiæ adeoq; de Archiepiſcopis LXX.

Hiſtoriam Angliæ Matthæi Paris.

Flores Hiſtoriarum Matthæi Florilegi vulgo Weſtmonaſterienſis.

Hiſtoriam Gyraldi Cambrenſis, Thomæ Walſinghami, et alios.



THO-



THOMAS BECONVS

BECONVS varijs agitatus fluctibus, orbis
Fallaces potuit vix superare minas.

AB

THOMAS BECONVS,



HOMAS BECONVS, in Oxomiensi Academia professor Theologiæ temporibus Edovardi Sexti: cum regnaret Maria Martyricida, exulavit in *Germaniâ*; sed Reginâ defuncta, rediјt, et diligens spectatusq; cùm pastor tũ scriptor claruit: prout constat ex ejus compluribus præclaris & divinis Tractatibus, qui Anglicè extant & prostant, quorum catalogum subjunxi. Nihil ex ejus operibus Latinè editum vidi, præterquàm eruditam ejus disputationem de *Cæna Domini*, quam in suo exilio composuit: ex quâ liquebit quantopere veram et reformatam Religionem sit amplexus. Cooptatus est in numerum Præbendariòrum *Cantuariensium*, ibiq; ad vltimum vsq; spiritum permansit. Expiravit circa annum 1570. quum esset sexagenarius. In cujus laudem, operumq; ejus Encomium, hos subjectos versiculos invenio, Ioannis Parkhursti Episcopi Norvicensis;

Vidi et perlegi doctos Becône libellos,
Quos tua non pridem sancta Minerva dedit:
Dispeream si quid legi unquam sanctius, aut si
Quid potuit populo tradier utilius.
Auspice perge Deo, tales vulgare libellos,
Vani-loquax sed nec lingua timenda tibi est.
Sic CHRISTVM *possis avido inculcare popello.*
Sic possis nomen condecorare tuum.

OPERA EIVS EXTANT TRINIS VOLVMINIBVS, ANGLICE.

Prima pars, seu Tomus 1⁹ continet.

Nova è cælo.
Christogoniæ convivium.
Symposium quadragesimale.
Orandi methodum.
Serviam (seu florum falciculus)
Invectivam adversus juramenta.
Disciplinam militaris.
Davidis Cytharam. Psalms.
Regimen virtutis
Catechismum brevem.
Librum Matrimonialem.
Strenam Christianam.

2. Pars (seu tomus.)

Gemmam jucunditatis.
Principia Religionis Christianæ.
Tractationem de jejunio.

Tractatio


Castellum consolationis.
Animæ solatium.
Turrem fidelium.
Equitem Christianum.
Homilias adversus scortationem.
Precationum flosculos.
Orationis myrothecium.
Morbidi Medicinam.
Dialogum de Christi nativitate.
Invectivam adversus adulterium.

Tertius Tomus.

Epistolam ad ærumnosos Dei servos.
Supplicationem ad Deum proverbi sui restitutione.
Missæ Pontificiæ surrectionem.
Scripturæ locos communes.
Comparationem inter Cœnam Dominicam et missam Papalem.
Articulos Religionis, Patrum auctoritate comprobatos.
Portentosas Romanorum Pontificum merces.
Romæ reliquias.
Differentiam inter verbum Dei & humana inventa.
Acta Christi et Antichristi, et de eorum vita & doctrina.
Christi Chronica.
Novi Testamenti compendium.
Quæstiones de sacra Scriptura.
Verbi Divini Triumphum gloriosum.
Laudem mortis, omnes hi libelli impressi anno, 1564. in fol.
Postillam omnium Euangeliorum Dominiacalium in 4°.
Ægri medicinam, sæpè et seorsim recusam in 8°.

IOAN-





IO^s CAIVS MEDICVS.

Talis erat CAIVS Medica præluſtris ab arte
Hic qualem facili ſculptor in ære dedit.

IOANNES CAIVS,

IOANNES CAIVS, patria Nordvvicensis, educatione Cantabrigiensis & Patavinus (nam in Italiam profectus & Pataviæ commoratus est:) Musis opera dedit in *Gonnevilli* Collegio *Cantabrigiæ*, ibique Medicinæ Doctoratu insignitus, propter raram & minimè vulgarem eruditionem & peritiam, Regis *Edovardi* sexti, Reginæ *Mariæ*, & tandem, idq; per multos annos continuos, Sereniss *Reginæ Elizabethæ* b.m. medicus successivè factus est, (& quod non tam rarum est quám memorabile, Illa habuit etiam duos alios Medicos alterum nomine *Iulium* alterum vero *Cæsarem*, quos utrosque Pater meus venerabilis jam superstes bene novit, apud hanc Reginā *Elizabetham*, incomparabilis excellentiæ Principem, tantopere gloriâ & gratiâ floruit *Cajus*, ut eum ornaret, & ejus vivendi præsidia amplificaret plurimùm. Hinc suprá memorato Collegio valde beneficus fuit: quippe qui maximam ejus partem proprijs impensis de novo extruxit. Hac de causa dictus est conjunctus, seu alter ejus fundator, quod amplis reditibus & possessionibus in perpetuum ditavit. Proinde, suprá dictum literarum domicilium, *Gonnevilli & Caij Collegium* denominatur.

Hic *Caius* verè, varios Libros de re medica & alijs argumentis conscripsit, quorum Catalogum hic infrâ subjunxi.

Obijt Cantabrigiæ anno Christi 1573. ætatis suæ sexagesimo tertio, et in recenter ædificati Collegij Sacello inhumatus est: monumentoq; decoratur, in quo, vice Epitaphij, hasce binas tantum voculas invenio.

FVIT CAIVS.

Qui

QVi studio excoluit musas florentibus annis,
Contulit & patriæ commoda magna suæ.
Qui stravit faciles aditus ad Apollinis artem,
Et fecit Grajos verba latina loqui.
Qui Cantabrigiæ Gonwelli incepta minuta
Auxit, & e paruo nobile fecit opus.
Et Qui Mausoleum LINACRO donavit in æde
Quæ nunc de PAVLI nomine nomen habet.
Qui lucem dedit & solatia magna Chirurgis,
Vt scirent partes Anatoniæ tuas.
Arte Macaomia Galenus pene secundus:
Et Patriæ atequ ævi gloria rara sui.
Talis erat CAIVS qualem sub imaginis umbram
Pene hic viventem picta tabella refert.

VIVIT POST FVNERA VIRTVS.

SCRIPSIT CAIVS.

DE mendendi methodo libros 2.
De Ephemera Brittannica lib. 2
De Antiquitate Cantabrig. Academiæ lib. 2.
Historiam Cantabrig. Acad. lib. 2.
De Canibus Brittannicis lib. 1.
De rariorum Animalium atq; stirpium historia lib. 1.
De Symphonia vocum Brittannicarum lib. 1.
De Thermis Brittannicis lib. 1.
De libris Galeni quæ non extant.
De Antiquis Brittaniæ Vrbibus.
De libris proprijs.
De pronuncitatᵉ. Græcæ & Latinæ Angliæ cum scriptione nova.
De annalibus Collegij medicorum Londini.
De annalibus Collegij Gonnevilli & Caij.
Compendium libri Erasmi de vera Theologia.
Atq; hæc quidem ipse commentattus est, & præterea etiam præter Commentrios seu Annotationes scripsit.
In Corn Celsi de medicina libros octo.
In Scribonij Largi de compositione.
Medicamentorum lib. unum.
In Frammigami opera omnia.
In Libros Galeni de administrationibus anatiomicis novem.
In ejusdem lib. de motu musculorum duos
De sanitate tuenda sex.
De Ptysana unum.
De parua sphæra unum.
Ad Thrasijbululum unum.
De ossibus ad Tyrones unum.
Transtulit deinde è Græco in latinum Galeni Libros.
De placitis Hippocratis & Platonis primum.
De libris Galeni suis, unum
De ordine librorum suorum, unum.
De diæta in morbis acutis, unum.
Item, Niceph. Callisti de confessione in orationibus, unum.
Chrysostomi de modo orandi Deum.
Paraphrasim etiam Erasmi in Epistolam Iudæ in vernaculam Ling. tranlit.

Porro sequentes libros castigavit.
De administrationibus Anatomicis Galeni, novem.
De motu musculorum duos.
De ossibus ad Tyrones, unum.
De composit. medicamentorum 17.
De simplicium medicamentorum facultatibus 11.
De placitis Hippoc. & Platonis, unum.
De medendi methodo 14.
De libris suis, unum.
De ordine librorum suorum, unum.
De sanitate tuenda, sex.
Ad Thrasybulum, unum.
De Ptysana, unum.
De victus ratione in morbis acutis, unum.
De succidaneis, unum.
De septimestri partu, unum.
De humoribus, unum.
De brevi designat. dogmatum Hippoc. unum.
De usu partium 17.
De locis affectis omnes, additis argumentis singulorum.
De febrium differentia, unum.
De morborum differentia, unum.
De differentiis symptomatum, unum.
De causis symptomatum 3.
De morborum temporibus, unum.
De purgantium medicamentorum potestate, unum.
De his qui purgandi sunt, quibus medicamentis, & quo tempore, unum.
De anatomia Hippocratis, unum.
De dissectione musculorum Galeni, unum.
De medicina libros 8. Cornelij Celsi.
De composit. medicamentorum librum unum Scribonij.
Postremò ipse primus invenit & in lucem protulit sequentes Galeni libros.
Primum de decretis Hippocratis et Platonis Græcum.
De comate Græcum, 1.
Hippoc. de medicamentis Græcū, unum.
Fragmentum libri septimi de usu partium Galeni.
Bonam partem libri de succidaneis.
Et de Ptyssana qui defuit.
Postremò promittit historiam Norvicensem, et castigationem operum Galeni.
Cæterum quo consilio singula scripserit, et quænam ex his et ubi in publicum editi sunt, diligenter ab ipso exponitur in libro de suis libris proprijs, Londini edito, anno Dom. 1570. per Guilielm. Seresium, è quo singula studiosi petere poterunt.

RO-





ROBERTVS ABBATVS EPIS: SARUM

Quos Deus infudit Santorum mentibus ignes
Præclaro ABATVS tradidit ingenio.

ROBERTVS ABBATVS,

ROBERTVS ABBATVS, ex honestissima familia ortus, Guilfordiæ natus: Literarum cognitione in Collegio Balliolensi & Academia Oxoniensi educatus; S. Theologiæ verè Doctor; prædicti Collegij Præfectus, sive Magister, ejusdemq; facultatis in eadem Academia professor Regius, seu Cathedræ Doctor: in qua dignitate succeßit Thomæ Hollando, nostro T. D. clarißimo; quam cum summa laude V. annis sustinuit: Hic Abbatus noster doctus piusq; post officium Pastoris xx. annos perfunctum & post errores Pontificios ab eodem nervosè (scriptis editis) confutatos, a Rege serenißimo *Iacobo* electus, & in Episcopum Sarisburiensem consecratus est 3. Decembris A°. 1615. Et in hoc munere *Seffridi* Cicestrensis Antistitis fælicitatem æquavit, quod Episcopus ipse fratrem videre contigerit Archiepiscopum Cantuariensem, Angliæ totius Primatem, &c.

In hac autem cùm versaretur sede, doctum illud & solidum de Gratia & perseverantia Sanctorum opus parturijt, quod ipsius quasi Cygnea vox fuit; ejus hic adjiciam ad Academiam Matrem elegantem *Apostrophen*, nec-non quæ sub finem operis posthumi addita est, *Attestationem*.

Salve veneranda Mater, Academiarum decus, & gloria: continere me non poßū, ut in nomine Tuo non attollam, & exultem animo, beatumq́; me prædicem, cui in fælicißimo omnium Gymnasio discere pariter, & docere datum est. Mille ego Tibi salutes, mille fælicitates, prosperitates omnes, & successus exoptare nunquā desinam. Tibi hoc negotium sub potentißimi Principis auspicijs agitur: Tibi repetitus labor hic, cui pro Te aliquando in scholis Tuis sudatum est. Id nempè agitur ut cavere discant Alumni Tui Arminios, Bertios, Grevinchovios, *Thomsonios*, & reliquos istos Scriptores, quos pruritus in geniorum

geniorum occupat, ut in aſſuetis nunquam acquieſcant, nunquam ſe aliquid eſſe credant, niſi novitates ſingulares producant. Et quidem, quæ fuiſti jampridem, opinor, ab his furoribus omnino libera, nihil dubito quin in pietate Tua maneas, & utinam ſemper maneas, & pro certo habeas veriora illa eſſe; quæ antiquitus ex Eccleſię Catholicę judicio definita ſunt, & ab eodem noſtro religionis uſu recepta, quam quæ curioſa leviſsimorum hominum ingenia ad plauſum ſibi de peregrinate captandum à profligatis hæreticis mutuata prodiderunt. Atque utinam in animis ſtudioſorum inſideant magis, & magis, quæ in diſceſſu noſtro inter cætera hortati ſumus, ut poſt vera fidei jacta fundamenta, miſsis illis jam innumeris recentium tranſmarinorum, non libris, ſed chartarum maculis, ad veteres Scriptores ſe accomodent, è quibus Theologiæ veriſsimas opes eruant, abſq; quorum lectione; atque uſu quàm elumbes, quàm jejunæ, quàm invalidæ plerunq; nobis ſint orationes, diſputationes, tractationes, res ipſa loquitur, non ſine ſtomacho nonnunquã auditorum, ſiqui doctiores ſunt, qui pro ſolida doctrina ſentiunt ſe nubes, & umbras complecti, quæ terendis tantùm bonis horis accommodatę ſunt. Neque tamẽ dum veteres commendo, Scholam excludo, immò modo adhibendam eſſe ſentio, ſed ita, ut ſit ancilla, non Domina, & afferenda ſit ad illam fidei doctrina, non inde referenda. Recentiorum in tanta Scriptorum varietate, tanta vanitate delectus, & modus habendus eſt, ne otio ſtudioſi abutantur legendis ſcriptiunculis quibuſq;, quæ latrinis potiùs, quam doctorum hominum Bibliothecis dignæ ſunt. Hæc ego dicta vobis, ornatiſsimi Academici, magna cum voluptate recolo, quia conſcius mihi ſum quanto cum affectu & benevolentia dicta ſunt, eò certè ut Hieroſolymam illam veſtram tanquã ex inſulis fortunatis fortunatiſsimam excolere opera veſtra, & omni modo adornare ſtudeatis. Vtinam Tui Tibi non deſint, Academia Florentiſsima, quæ Tuis non ulla in re deeſſe probaris. Vtinã animadvertant ſemper, & ſentiant in ſtudio atque induſtria, in

literis; & doctrina quantæ verarum voluptatum deliciæ contineantur, quanta animorum ſerenitas, quanta gloriæ magnitudo; de otio atque inertia, de libidine, de compotationibus, & fumis quantæ ſordes, quanta ignominia quanti conſcientiarum aculei ſuperſint. Certè vivunt virtutum, vivunt induſtriæ nomina, & fruuntur luce, quando iſti ſordidarum voluptatum aucupes ſepeliuntur in tenebris, & vix quidem, niſi cum nauſea & ſcreatu, & vomitu, memorantur. Spero interim ego de Te, ſpero de Tuis optima, chariſsima mater mea. Vtinam vigeas, utinam floreas, magiſq; , ac magis creſcas in columnam fidei, firmamentum veritatis, uſque ad adventum *Iesv Christi.*

Hactenus ex Pręfatione ejus ad Lectorem. Atteſtatio autem ſic habet. Diœceſi Sariſburienſi ei demendata: quam annis non ampliùs duobus, & tribus menſibus adminiſtravit. Dum verò non ſolum publicis curæ Epiſcopalis occupationibus implicatur, ſed & privatis ſtudijs Theologicis penitùs pertinatiuſq; adhæret, ex ſedentaria vitæ ratione, calculo intra renes concepto graviſsimè laborat, ac annum jam agens quinquageſimum octavum cum ejuſdem morbi paroxyſmo ultimo, per aliquot dies protracto, invictâ patientia conflictatus; tandem non ſine ingenti cleri ſui, populiq; luctu, et penè incredibili Sariſburienſis Civitatis mœrore placidè in Domino conquieſcit. Imminente morte convocat domeſticos, & fidei ſuæ profeſsionem interruptis, ac moribundis vocibus exorſus, cum amici monerent huic ut ſuberſederet labori, extare enim doctrinæ, ac fidei ſuæ in ſcriptis a ſe, editiſq; operibus confeſsionem; annuit; & ſcripta ſua omnia ſuprema hac voce obſignavit. Illa (inquit) fides quam ſcriptis meis propugnavi. Veritas Dei eſt, in ejuſque aſſertione morior. Et ſic (inquam) ſpiritum amiſit, menſe Martij A°. 1618. Inque Eccleſia ſua Sariſburienſi Sepultus jacet.

SERIES

SERIES RELIQVORVM OPERVM SVORVM EDITORVM.

Contra Gu: Bishopium Anglopapistam, Doctorem Pontificum, in defensione Guilielm: Perkinsi cujus titulus est Catholicus Reformatus (opus elaboratissimum) tomi.3. Anglicè.

Demonstratio Antichristi, contra Cardin. Bellarminum, & alios Papicolas, Latinè.

Defensio librorum suorum contra Cavillationes & Sophisticationes Eudæmonis-Ioannis: pro Is: Casaubono: & contra Apologiam Eudæmon Ioannis pro Garneto, &c.

Semita antiqua. 1. Concio habita Oxoniæ, Latinè extat Tho. Draxo interprete.

IACO-





IACOBVS MOVNTAGV EPISCO. WINTON

Antistes claro prognatus stemmate vicit
Præclarum castis moribus ingenium

IACOBVS MOVNTAGO.



VVM legeris VVintonienſem Epiſcopum fuiſſe IACOBVM MONTACVTVM, & Sacelli Regij Decanum & nobiliſsimi Ordinis Periſcelidos Antiſtitem, & ſapientiſsimo Regi IACOBO á privatis conſilijs; ſcias Lector, hos titulos literis & virtute eũ meruiſſe, ut de longa nobilitatis ſerie, a Montacutis Saliſberiæ olim Comitibus, nihil dicam. Patrem habuit ex ordine equeſtri, D. Edovardum, a Boughton, in comitatu Northamptonienſi; Avum ejuſdem nominis, Angliæ Prætorem præcipuũ, Henrici octavi Conſiliarium; Matrem verò Elizabetham, nuperi Baronis Haringtonij (noſtri, ſenioris,) ſororem. Conveniens generi obtigit educatio in inclyta Cantabrigienſi Acadademia, quæ inſolitos ejus in literis profectus novo etiam privilegio compenſavit, collatis & Magiſte ij & Doctoratus inſignibus priuſquam leges Annales paterentur. Habet & Academia; quod illi imputet, aucta propter eum Collegio Sydneano, quod fundavit Franciſca Sydnea Suſſexiæ Comitiſſa illius agnata, Henrici Sydnæi noſtri, ex equeſtri Periſcelidos ordine, qui Robertum præſentem Leiceſtriæ Comitem genuit germana ſoror. Præſes ejuſdem Collegij factus, quum circmjacens fundus odoris fæditate infamis eſſet, Trumpiniam aquam novo alveo deduxit in hortos Collegij, communicata urbi & Academiæ ſalubritate.

Quanta autem fælicitate juventutis ſtudia direxerit, teſtantur magna ingenia, quæ elaboratiſsima ex ea officina prodierunt. His artibus, quum ſereniſsimo noſtro Regi innotuiſſet, ſine mora Sacellanus ejus Ordinarius, Lichfeldiæq; & Sacelli Regij, mox Vigorniæ Decanus factus eſt; Bathonienſis deinde & VVellenſis Epiſcopus, Qua in ſede ita ſe geſsit, ut octo annis, quibus præfuit, non ſibi ſed publico honores geſsiſſe viſus ſit. Pauperes

peres in Ptochotrophio beneficum Procuratorem, omnes boni illius loci hospitalem Episcopum amiserunt. Intuentibus verò opera publica, quæ collapsa restituit, id unum solumq; egisse videatur, adeo jam nitent, quæ situ & ruinis antea squalebant: ut Palatium Episcopi VVellense, cum hortis & æde sacra, domusq; Banovellana; Et quod grata posteritas nunquam silebit, templum Bathoniense, quod *Oliverus* Episcopus, centum ab hinc annis, inchoavit, ejus maximè impensa absolutum fuit. Huic templo, nisi morte fuisset præventus, & canentium Chorum daturus erat, & Decani Capituliq; dignitatem: & nunc fratres ejus Equites clarissimi, Henricus & Sydneus, apud Regē satis videntur cavisse, ne irritum fiat honestissimum defuncti propositum. Deniq; ad sedem VVintoniensem translatus, novam sibi obvenisse interprætatus est, non honoris, cujus jam erat satur, sed oneris materiam. Stat magnificentiæ illius insigne monumētum, Domus Episcopi, in meridionali Londini suburbano, modo in ruderibus suis sepulta, nunc æmula splendidissimis citerioris ripæ Palatijs. Stat arx Farnamia aucta jam novis porticibus & cubiculis, ad Regem, quùm eos tractus obiret, excipiendum: ut præterea cætera VVintoniensis sedis domicilia ejus sumptibus restaurata, tanquam ea lege consecratus fuisset Episcopus, nequid labis in Diœcesi appareret. Turrim quoq; in arce VVindsoria, nobilissimi ordinis Periscelidos Antistiti dicatam, pari studio sumptuq; ornavit: nec passus fuisset aliquando sibi deesse, quod bene ageret, si non mors, quæ illi senectam invidit, jussisset desistere. Facile ex his conjicias observatissimum eum fuisse antiqui Canonis, quo jubentur Episcopi facultatum Ecclesię quadrantem sacris ædibus reparandis impendere; quum constet hunc nostrum, in ea mediocritate Fortunæ supra viginti milia coronatorū erogasse.

Obijt *Grenovici* Hydropicus, quadragesimo nono ætatis anno, *XIII* Kalend. Augusti. *M.D.C.X.VIII.* relictis quatuor fratribus splendissimis Equitibus Edovardo

vardo

vardo natu maximo Henrico Angliæ Prætore præcipuo, Carolo qui funus magnificè procuravit, & Sydnæo libellorũ ſupplicũ Magiſtro; quos Deus illi voluit ſupereſſe, ut Regi & Reipub. vivendo fraternæ virtutis tenorem continuent. Collegio Sydnæano memor ibi iuventutis tranſactæ nutricia ſolvit moriens, legata Bibliotheca bene inſtructa et annuo pecuniæ proventu. Corpus in templo Bathonienſi condi voluit, ubi monumentum illius cernitur magnificum ex indice lapide & alabaſtrite. Quàm invitis hominibus deceſſerit, luctu fere publico teſtatum eſt. Nec enim modo familiam ſuam afflixit morte Antiſtes noſter, ſed Academiam utramq; & Aulam & Eccleſiam vocavit in partem mæroris. Et Rex Optimus, quem viventem propter officij aſsiduitatem & cultum ingenij & intemeratam fidem ſemper habuit charisſimum, deſiderij & triſtitiæ ſenſu parentavit defuncto. Apud cæteros hoc conſequutus eſt, ut nemo ejus morte gaviſus fuerit: fruebatur enim (quod rariſsimum eſt) munificentiſsimi Principis gratiâ ſine invidia; & quum plurimum poſſet, opinione omnium plus poſſe merebatur; non ambitionem et luxum, ſed ad Eccleſiæ & bonorum omnium levamen ea uſus potentia. Nec minor domi ſanctimonia ejus fuit et probitas, quam in publico morum eligantia et affabilitas. Quicquid temporis negotijs ſubtrahere poterat, precibus et divinarum rerum meditationi conſecrabat: itaq; Sanctos Patres, quos in ſumma admiratione ſemper habuit, vitæ imitatione unice colebat; caſtitatis quoq; eorum æmulus, quã nec verbi invericundia læſam, ſecum in ſepulchro tulit.


EDOVARDVS DERINGVS.
Sedulus inculcans diuini semina verbi
Expers DERINGVS ambitionis erat

EDOVARDVS DERINGVS,



DOVARDVS DERINGVS, genere nobilis, antiquâ familiâ ortus, natus est in *Cantio*, & literis tam humanioribus quàm sacris, operam dedit *Cantabrigiæ*, in Christi collegio, ex quo tot Principes & præstantes Theologi exierunt; ubi tantopere profecit, vt industrius & planè divinus verbi Dei præco evaserit. Quod manifestum fit cùm ex solidissimis suis concionibus, (ex quibus illa coram Regina Elizabetha habita de Ecclesiarum & Ecclesiasticorum abusibus & curiarum corruptelis facilè excellit), tum ex alijs consolatione plenissimis tractatibus, quæ omnia in lucē prodierunt: sed tantus, & tam perbonus vir, nunquam ullum illustrem locum aut eminentem dignitatem sortitus est, titulo Baccalaureatus Theologici, et sociali stipendio in suprà memorato collegio contentus: Factusq; est Concionator in Ecclesia Cathedrali sancti Pauli Londinens.

Edovardi *Deringi* ultima verba, habita ab eo in lecto fatali, *Tobiæ 26.* Iunij, anno 1576. hic inserere æquum putavi.

Deus condonet mihi negligentiam meam, quòd pretiosa Dei dona non magis (dum tempus haberem) converterim ad illius gloriam illustrandum. Nihilominùs, gratis Deo habeo, quod his charismatis ambitiosè non sum vsus, nec, ut inanibus hominum Studijs obsequerer. Mihi semel defuncto, reconciliabuntur inimici mei, nisi qui me non noverunt, et qui nullum veritatis sensum habent: Quippe, fideliter, et cum recta conscientiâ, Domino Deo principi meæ servivi.

Cum concionator ei diceret, *est tibi summum beneficium, quod in pace dimitteris, & quod a multis molestijs abibis, quas fratres nostri sustinebunt & sentient*: ille respondit, *ego quidem à multis molestijs migrabo & recedam, & multas post me relinquam.* Si Deus decrevit quod sancti ipsius concœnabunt, cur ad eos non proficiscor? siqua autem restat dubitatio, aut hæsitatio, Dominus noster veritatem patefaciat.

Cuidã dicenti, quod *speraret conticescentis animus pia tamen meditatione exerceretur*: respondit, eheu, miser & fragilis homo, & omnium, electorum Sanctorum minimus, credo, & intueor in Christum salutem meam. Nos universi simul conveniemus in dulci harmonia Domini, Dei exercituum. Quæ & quanta nubes testium hic est? Paulisper, & spem nostram cernemus. Fines sæculorum in nos occurrerunt, & nos citò recipiemus finem spei nostræ, quem adèo, expectavimus. Afflictiones, morbi, ægrotatio, dolor, nihil sunt aliud nisi quædam mundanæ partes et portiones, à Domino ad nos redeuntes. Non sufficit ad momentũ incepisse nisi in reverentia Domini cunctis diebus vitæ nostræ nos perseveremus: quippe, in jactu oculi colligemur & auferemur. Ne delicias facite cum verbo Deo, ne illud vilipendite: beati sunt qui benè utuntur linguis suis, dum eas habent.

Lector humanissime, visum autem est mihi in medium proponere eximium Apophtegma prolatum a sanctissimo Deringo, paulò ante obitum ipsius: Ex quo clarè datur videre & discere, dulcem in morte pacem manere eos omnes, qui dum vivunt, sunt in cultu Domini industrij. Ille.n. in lecto suo erectus fuit, & amici ejus eum rogabant, ut aliquid eloqueretur, tum sol faciei ejus illuxit, unde occasionem ita loquendi arripuit,

„ Non est nisi unus sol qui orbem terrarum illuminat:
„ non est nisi una Iustitia, non est nisi una sanctorum
„ communio. Si ego essem omnium in universo orbe crea-
„ turarum præcellentissimus: si Abrahamum Isaacum, Ia-
cobum

cobum (hic enim fuerunt præſtantes in mundo viri) juſtitia exæquarem, nihilominus neceſſe habemus confiteri, nos eſſe magnos peccatores, et nullam ſalutem, præterquam in Chriſti juſtitia reperiri aut obtineri. Nos autem omnes, indigemus gratiæ Dei. Et quod ad mortem attinet, ego tale Spiritus gaudium ſentio & percipio ut ſi ex altera parte ſententia vitæ, ex altera autem parte, ſententia mortis in me pronuntianda foret, millies mallem (quam Deus ſeparationem præfinierit) mortis, quam vitæ ſententiam.

Mortuus eſt, et terræ redditus ad *Tobianas* ædes in Comitatu *Eſexiæ*, anno 1576.

SCRIPSIT EDIDITQVE ANGLICE,

Reſponſionem modeſtã et ſuccinctam adverſus Hardingum.
Prælectiones in Epiſtolam ad Hebræos.
Conciones quaſdam coram Regina et in Turre Londinenſi habitas.
Precationes, privatis familijs deſtinatas.
Catechiſmum ſuccinctum.





EDMVNDVS GRINDALVS

Cum docet Antistes populum, cum pascit egenos
GRINDALLVS, *vero præsule digna gerit.*

AB

EDMVNDVS GRIN-DALLVS,



DMVNDVS GRINDALLVS, in *Cumberlandia* natus, Cātrabrigiæ, in Aula *Pēbrokiana* linguas, Artes & Theologiam didicit, in qua Primum factus est socius & deinceps ejusdem collegij Præfectus: Deinde Nicolao *Ridleio* Episcopo Londinensi a Sacris fuit, qui illum Regi *Edovardo* sexto b.m. commendavit, sed immaturo obitu Regis præveniente, doctrinæ & virtutum suarum præmio caruit. Vnde sua sponte in Germaniā exulavit, in quā vixit, quamdiu imperitaret Regina Maria. Sed, illâ extinctâ, redijt, & á Regina *Elizabetha* b. m. evectus est ad dignitatem, ei temporibus Regis *Edovardi*, destinatam, hoc est, anno 1550, electus est; & jam consecratus est Episcopus *Londinensis*, quem Episcopatum circiter undecim annos tenuit, & postea anno 1570. translatus est ad Archiepiscopatum *Eboracensem*, ubi sexennium ferè sedit, dum, propter ipsius pietatem & eruditionem anno 1575, ad *Cantuariensem* Archiepiscopatum evectus est, ibiq; Sedem illam Rexit, septem (plus minus) annos, sed biennio antequam moreretur, usum oculorum amisit. Morbo correptus est *Croidonæ* ibiq; inhumatus est, anno 1583. et ætatis suæ sexagesimo quarto. Multa præclara charitatis opera cum in vita, tum in morte sua fecit. Exempli causa. In loco natali suo, vir Sanctę *Begæ oppidulo in comitatu Cumberlandiæ, liberam scholam instituit, quam stipendio triginta librarū per annum in perpetuum locupletavit. *Aulæ Pembrochianæ Cantabrigiensi* terras ad viginti duarū minarum annuos reditos legavit, ad alendum Græcarum Literarum prælectorem, et ad sustentandum unum Socium et duos discipulos qui pariter ex sua illa Schola desumendi essent: Eidem Aulæ varios libros, et quadraginta argenti facti uncias dono dedit.

*St. Bees anglicè.

Magdalenæ collegio Cantabrigiensi concessit annu-

am mercedem in prædijs et latifundijs, unde vnus socius è schola ipsius accitus aleretur. *Christi Collegio* apud Cantabrigiēses purioris religionis seminario, et politioris doctrinæ domicilio, quadrginta quinq; Argenti facti vncias legavit: *Oxoniæ Reginali Collegio* annuum proventum viginti librarum largitus est ad alendum Socium et duos Scholares ex ipsius supra nominata schola eligēdos: Et moribundus eidem Collegio maximam Bibliothecæ suæ partem, argenti facti magnam portionem signati etiam quadraginta Libras donavit. Octo domunculis eleemosynarijs *Croidonæ* sitis, dedit prædia, quinquaginta libris annuis reditibus æstimata; quò pauperes melius victitarent. Postremò Civitati Cantuarensi centum concessit argenti signati libras, ut esset sors sive peculium profectitium, vnde pauperes in Civitate ab ocio arcerentur, & opere exercerentur.

EXTAT EIVS,

Concio apud Crucem Paulinam cum exequiæ Imperatoris Ferdinandi semper Augusti celebrarentur, Anglicè.

IOHAN-




IOHANNES FOXVS.
Colligit vt FOXVS Sanctorum gesta Virorum
Digna facit Sanctis plurima martijribus.

IOHANNES FOXVS,

IOHANNES FOXVS, in comitatu *Lancastriæ* natus est , ubi,cum puer esset, literis destinatus est,posteaq; missus est *Oxoniam* & in collegio *Magdalenensi* operam literis navavit,& Theologiam professus est,Latinæ Græcæ & Hebraicæ Lingnæ scientiam non pœnitendã regnante *Edovardo* ejus nominis sexto consecutus est. Et Reginæ Mariæ temporibus,quò tutius & securius viveret, apud Belgas exulavit : Sed Reginâ defunctâ , remigravit in *Angliam* , & summus Theologus extitit. Hic est ille reverendus & nobilitatus *Foxus* , quem toties citavimus & ad quem toties Lectorem remisimus.Hic est ille doctissimus vir,qui, (vt nihil dicam de ejus Ministerio sacro et singulari in docendo sedulitate , infinitis et incredibilibus laboribus) illud operosissimum Martyrologium , quod inscribitur *Acta et Monumenta Ecclesiæ nostræ*,quæ duobus ingentibus voluminibus sunt comprehensa , colligit ediditq; in quibus quantam operam & studium adhibuit,Christiano Lectori considerandum relinquo. Opus sanè quod omnes qui ubiq; sunt Papistæ nequeunt refutare , nedum falsitatis,redarguere. Et quamvis aliqui catuli Pontificij tam nobile opus conati sunt dentibus suis rodere & lacerare tamen non alio effectu & successu , quam *Catellus Melitæus* , Vrsi caudam mordet. Plus minarum quam periculi adferentes.

Præter illud multi laboris Martyrologium , multos alios eruditos libros conscripsit & in lucem edidit.

Audivi quendã fide dignum,cui benè notus erat *Foxus* quamdiu in Acadimia degeret gravissimè affirmantem, quod ei fuerit *Filius* nomine S. qui juvenis cum esset, non potuit verbis revocari quominus transmarinas regiones obiret,in quibus aliquamdiu commoratus rediijt ad Patrem suum Oxoniæ etiamnum agentem peregrino habitu deformatus:pater ejus jam senio confectus, eum

non

mon agnoſcens, dixit ei, *Quiſnam es?* Reſpondit juvenis, *ſum filius tuus*, & excepit Pater, ô *fili mi S. quis* te docuit ita te rediculũ præbere *tam alieno &* indecoro habitu veſtitum? Quam reprehenſionem viſum eſt hic aſcribere, propterea quod optimi ſenis humilem et omnia mundana minoris æſtimantem animum declarabat, cujus laudem, nimium nequeo prædicare. Nunquam quæſivit ac ne ullam ſibi oblatam dignitatem et eminentiam amplexus eſt, utpote ſola Theologiæ profeſsione contentus, quod ſummam ejus et penè ſingularem humilitatem demonſtravit: in tam ambitioſis in quibus vivitur temporibus, exemplum maximè rarum et penè inauditum. Londini ſummum diem obijt, et in ſancti *Ægidij* Eccleſiâ ad portam vulgò *Creeplegate* denominatam ſepultus conditur, in cujus Monumento marmoreo hæc inſeques inſcriptio conſpicitur.

CHRISTO SS.

IOanni Foxo Eccleſiæ Anglicanæ Martyrologo fideliſsimo, Antiquitatis Hiſtoricæ jndagatori ſagaciſsimo, Euangelicæ veritatis propugnatori acerrimo, Thaumaturgo admirabili: Qui Martyres tanquam Phœnices ex cineribus redivivos præſtitit:

Patri ſuo omni pietatis officio inprimis colendo, Samuel Foxus illius primogenitus, Hoc Monumentum Poſuit.

Obijt xviij°. die Mens. April. Anno ſalutis 1587. jam ſeptuagenarius.

Vita vitæ mortalis, eſt ſpes vitæ immortalis.

SCRIPSIT EDIDITQVE FOXVS.

MEditationes in Apocalypſin S. Iohannis.
Tractationem de Chriſto crucifixo, Latinè.
Chriſtum Ieſum triumphantẽ, Latinè.
Contra Oſorium continuationem Gu. Haddoni. Latinè.
Contra Papam Latinè.

Breves

Breves adhortationes Consolatorias ad visitatos et afflictos, Anglicè.
Notas breves de Electione, Anglicè.
Quatuor Euangelia Saxonico-Anglicè edidit.
Concionem ad quendam Iudæum Baptizatum, textus ex undecimo Pauli ad Romanos, Latinè.
Vrbanum Rhegium de fide, Anglicè transtulit.
Locorum Communium Titulos et ordines 150.
Ad inclytos Angliæ Proceres pro afflictis fratribus supplicationem.
Gratulationem ad Angliam de Ecclesia et ejus Pastoribus.
De re Eucharistica.
De lapsis recipiendis.
Expostulationem Christi cum genere humano.
Aduersus del-Rij Theologi calumnias.
De excommunicatione.

EDVVI-





EDWINVS SANDYS ARCHIEPS
Amplectens causam meliorem vt captus ab hoste est
SANDYSVS præsul denique fit populi
AB

EDWINVS SANDYS.



DVVINVS SANDYS, Nobili ortus familia, ſacræ Theologiæ Doctor ex celeberrima Academię Cantabrigienſis, ibiq; Aulę S. Katharinæ Præſes, & ejuſdē Academię Pro-cancellarius, quando Ioannes ille fortiſsimus Dux Northumbriæ cum Exercitu illic tranſiens ut MARIAM (regni tum primùm faſces arripiētem) opprimeret, coegit cum non admodum invitū D^næ. Ianæ Graiæ (quæ Regina fuerat declarata) cauſam pro Concione propugnare: Quod ille fecit tam modeſte ſimul & prudenter, ut Northumbrius officio abunde ſatiſfactum ab illo agnoverit, neque tamen adverſam factionem multam irritaverit. Nam cum rebus mutatis, tam Dux quam ipſe poſtridie in vincula reperentur; Ipſe vero poſt aliquot menſes, amicorum interceſsione liberatus, in Germania unâ cum uxore profugit, ubi quoad vixit MARIA R. delituit, et auſpicante regnum ELIZABETHÆ, B. M. revocatus, VVigornienſis Epiſcopus declaratur, conſecratus Decemb: xxi°. 1559. Grindallo deinde ſuccesſit utrobique, Londini nimirum 1570. & Eboraci poſt ſexennium. Ibi cum ſediſſet Archiepiſcopum annos xij. exceſsit e vivis Auguſt. viij°. 1588. Sexagenarius plus minus: Et Southvvellię tumulatus eſt. Vir neſcio utrum ſuis virtutibus clarior, an generoſiſsima ſobole fælicior. Nam liberos reliquit permultos, ex quibus tres equites hodiè vidimus auratos, animi corporiſque dotibus ornatiſsimos, Edvvinus autem doctior & pro patria clarior chariorq; eſt.

Ad hoc tempore, jam extat volumen eruditarum Concionum ab eo anglicè habitarum et exaratarum.

LAV-



LAURENTIVS HUMFREDUS

Rursus ab exilio patriam complexus amatam
Papicolas sacris fulminibus iugulo

AB

LAVRENTIVS HVMFREDVS.



LAVRENTIVS HVMFREDVS, oriundus è Provincia *Buckinghamensi*, et in bonis literis *Oxoniæ* educatus in *Collegio Mariæ Magdalenæ* sacro, *Marianis* temporibus exulabat in *Germania*; sed initio regnantis serenissimæ *Elizabethæ, b.m.* reversus, literis & predicandi facultate excelluit, Doctoratusq; gradum suscepit. Propter summam autem eruditionem suam Divinam gloriam mirificè illustravit: ut qui cumprimis nuperam & sceleratissimam Iesuitarum infernalium sectā patefecerit. Quàm sedulò & diligenter ex antiquitatis monumentis, Papistarum technas, fraudes, imposturas, investigaverit descripseritq;, erudita ipsius volumina in lucem emissa & extantia luculenter declarant.

Factus est S: Theologiæ Professor Regius, vel ut dicitur Doctor e Cathedra, & Magdalensis Collegij Preses: quibus dignitatibus multos annos fruebatur.

Vitam clausit & humatus est *Oxoniæ* anno 1589. mortem ejus magnopere plangente & deplorante Academiâ; cujus etiam corpus funebri exequiarum celebritate honorificè sepeliri curavit, cùm septuaginta plus minus annos ipse complêsset.

SRIPSIT ET EDIDIT HVMFREDVS.

De Nobilitate ejusq; antiqua origine &c.

Libellus de conservanda vera religione.

Consensus Patrum de justificatione.

Interpretatio Linguarum.

Iesuitismi ps 1a. sive Praxis Curiæ Romanæ, contra Resp: Et Principes, ac Præmunitio ad Anglos.

Iesuitismi ps 2a. Puritano-papismi, seu Doctnæ. Iesuiticæ, contra Edm: Campianum et Io: Duræum, Assertio et confutatio. Item Pharisaismus vetus et novus, Concio ad Oxonienses, Ao. 1582.

De vita et morte Ioannis Iuelli, ejusq; veræ doctrinæ defensio, cum refutatione quorundam objectorum, Hardingi, Sanderi, Copi, Osorij Lusit: Pontaci Burdeg:

Transtulit Origenem de recta fide contra Marcionistas, et scripsit Præfationem in eundem Doctorem.

Item Cyrilli commentarij in Esaiam Prophetam Latinè reddidit.

Indicem in Forsteri Lexicon hebraicum confecit.



IOANNES MORVS S; Theo; Prof.

Ergo age Magne morj nil tandem More morare
Hic totus viuee, nescie More morj
Corpore mente Simul te More hæc tabula pingit
Hic absens aderis non moriture More

IOANNES MORVS,

IOANNES MORVS, Patria Eboracensis & perantiqua natus familia, postquam Cantabrigiæ in Collegio Christi multos per annos, scholaris, socius, magna cum laude celebris vixisset, evocatus fuit ad curam pastoritiam Ecclesiæ Beati Andreæ apud Nordovicenses vocationi paruit, paratus ad opus ministerij sedulus incumbit; et quæ, nonnulli ante eum illustres Architecti, sinceræ religionis jecerant fundamenta, auxit ille, ornabit & superædificabit in Domino. Habebat Civitas illa illius temporibus senatum (ut ille de Roma dixit) Deorum, Concilium proborum multitudinem deniq; hominum ita vacationi sedulo inservientium, ut in illa Civitate, uti Deus præceperat de Israele, ne unus quidem cursitare mendicus videretur. Ita semper floreat Civitas illa, Ecclesia Andreæ illa, ubi eruditum Robertum Hillum S. Theologiæ professorem (jam Doctorem) tertium post Morum illum quinquennes labores impendisset.

Fuit Morus noster pastor Ecclesiæ istius per annos xx. plus minus, & licet multa ei oblata pinguia Beneficia, in quibus majori cum emolumento, minori cum labore, poterat residere, locum tamen non mutavit. Quantus, quantus fuit vir iste Dei testatur Civitas illa, & testabitur sat scio: Nomen illius est adhuc apud Cives instar unguenti pretiosi, Effigies illius instar tabellæ desideratissimæ, Memoria illius semper apud illos futura est in benedictione. Quid multa? en corporis Eic^onem & Catonem alterum gravitate poteris intueri: Alebat ille quidem, non comam at, barbam, ut nihil gravitate tanta indignum committeret. Erat ille incessu decorus, vestitu modestus, victu vinoq; parcus, comitate severus, severitate comis, & in terra auri ille sine auro vivebat ut non sua sed suos quæsivisse videretur. Artium pene omnium habebat Encyclopædiam, linguarum habebat multarum,

rum, Hebrææ præſertim & Græcæ peritiam, &, ut Paulus de ſeipſo, plus quam reliqui pæne omnes in miniſterio laborabat: Et quoniam ſermone rudis erat ut Paulus 2. Cor. 11. 6. non autem ſcientia, non tam verbis quam vitæ perſuadebat. Filios in Chriſto habuit multos: amicos propter Chriſtũ habuit plures; miniſtros ad ſerviendum Chriſto invitavit & fecit plurimos: Singulis diebus Dominicis ter ſemper, quater aliquando, ſingulis inſuper diebus profeſtis hora ſexta matutina populum tam diu inſtituebat; donec φθισει: correptus inſtar lucernæ accenſæ alijs inſerviens ſeipſum conſumpſiſſet. Scripſit idem Chronologiam ſacram, Catechiſmum parvum, conciones tantum tres: depinxit ſitum terræ Canaan, & ita in hebræo textu veteris, & græco N. T. erat exercitatus ut Hieronymum eum poteris appellare. Reliquit poſt ſe uxorem mæſtiſsimam, filias duas: nomine non nummis dives diſceſsit. Obijt anno Dni. 1592. aut circiter, & magno cũ honore, majori cum luctu, maximo autem cum diſpendio illius Eccleſiæ ſepultum eſt, in Eccleſia Sant-Andreanæ prædictę ante ſuggeſtum.





GVILHELMVS WHITAKERVS THEOL.

WHITAKER validis oppugnans ictubus hostes
Pro CHRISTO victor sæpe triumphat hero.

GVILIELMVS WHI-TAKERVS,



VILIELMVS VVHITAKERVS Lancastriensis, in S. & Individuæ *Trinitatis Collegio Cantabrigiensi* contemplationi & literarum studijs vacavit: ubi progressu temporis, tam fuit linguarum peritia, & omni liberali disciplina ornatus excultusq;, ut varia ornamenta consecutus, sacræ Theologiæ professor Regius factus fuerit, & Collegij divi Iohanni sacro præfectus. Quæ loca multos annos tenuit,& hoc temporis decursu strenuè & feliciter cum nostratibus famosissimis (perditis illis profugis & perfidis proditoribus Presbyteris ac Iesuitis) *Stapletono, Sandero, Reginaldo & Campiano* conflictatus est: quam verò secundis prælijs usus sit, erudito lectori estimandum et judicandum relinquo. Nec contentus cum supra nominatis Pseudo-catholicis Anglo-papistis, dimicasse, in certamē descendit cum illo Philistæorum Goliatho, hoc est cum Archi-jesusita *Roberto Bellarmino* (jam Cardinale, & R. Pontificis pugile primario) cujus argumenta et objectiones tam succinctè solidèq; refellit, ut nemo suprà, attestantibus omnibus Euangelicis Europæis. Et nisi (proh dolor) immatura et nobis luctuosa mors eum prævertisset, ad singulas Controversias et singulos Tomos Bellarminianos exquisitè inconfutabiliterq; respondisset. *Nihilominus* ab ipsis quibusdam Anglis in Italiā profectis cum fide audivi relatum, Ipsum Bellarminum hujus viri Effigiem ex Anglia procurasse, & in ipsius musæo servasse: propter insignem enim eruditionem clam admiratus est: Et cum fortè ab aliquo socio suo ex Iesuitis vel amico rogaretur, cur Hæretici illius picturā habuit, solitus est respondere, quod quamvis Hæreticus esset et Adversarius, esset tamen doctus Adversarius: Ecce Cardinalis Bellarmine (si vivis etiam adhuc) doctissimi Doctoris VVhitakeri vivam in chartis Imaginem,

ginem, vivissima tamen in operibus ejus (pro tua consolatione) vides: Illius inquam, qui dum in vivis esset, vixit piè, solide docuit, obijt placide & in summa pace, anno Dni. 1595. ætatisq; suæ quadragesimo septimo: Ejus obitum totam Academiam imò universam Angliam dolore ac mœrore afflixit: Cantabrigiæ in Collegio Divi Ioannis cum summa solemnitate & omnibus ornamentis funebribus, pro more Scholarum, contumulatus est.

EPITAPHIVM REVERENDI VIRI

Doctoris *Whitakeri* aureis incisum literis in pariete juxta sepulchrum ejus, in sacello Collegij S. Ioannis Euangelistæ.

HIc situs est Doctor WHITAKERVS, Regius olim
Scripturæ interpres, quem ornabat gratia linguæ
Iudicijq; acies, et lucidus ordo memorq;
Pectus, et invictus labor, et sanctissima vita;
Una sed enituit virtus rarissima, tantas
Ingenij inter opes, submissio candida mentis.
Hujus Gymnasij super annos octo Magister
Providus, et Recti defensor, et ultor Iniqui.

INDEX LIBRORVM VVHITAKERI EDITORVM.

ADversus Thomæ Stapletoni Anglo-papistæ defensionem Ecclesiasticæ Authoritatis, quā ipse luculentam et accuratā inscripsit, tribusq; libris digessit, duplicatio pro authoritate Sa. Sa.

Nicolai Sanderi Anglo-papistæ quadraginta demonstrationes, quod Papa non sit Antichristus ille insignis, qui unus tantum homo est, cum plusquam ducentes Pontifices Romani fuerint, et eorundem demonstrationum solida refutatio.

Ad decem Rationes Edmundi Campiani Iesuitæ, Christiana responsio.

Responsionis ad decem illas Rationes, quibus fretus Edmundus Campianus certamen Ecclesiæ Anglicanæ Ministris obtulit in causa fidei, Defensio, contra Ioannis Duræi Scotici-Iesuitæ.

Fragmenta veterum Hæresewn ad constituendum Ecclesiæ Pontificiæ, &c.

Thesis proposita et defensa in Academia Cantabrigiensi, die Comitiorum anno Dni. 1582. cujus summa hæc: Pontifex Romanus est ille Antichristus quem futurum Scriptura predixit.

De S. Scriptura disputatio contra hujus temporis Papistas, inprimis Robertū Bellar-

Bellarminum Iesuitam Romanum et Thomam Stapletonum Anglo-papistam quæstionibus proposita et tractata.

Prælectiones in quibus tractatur Controversia de Ecclesia contra Pontificios inprimis Bellarminum Iesuitã, in 7. quæstiones distributa: Opus posthumum edit. per Ioannem Allenson.

Controversia de Concilijs contra Pontificios inprimis Bellarminum Iesuitam in 6. quæstiones distributa. Opus posthumum per Io. Allenson.

Tractatus de peccato originali in tres libros distributus adversus tres primos libros Tho: Stapletoni de universa justificationis doctrina hodie controversa. Opus posthumum per Io: Allenson.

Prælectiones in Controversiam de Romano Pontifice, distributum in quæstiones 8. aduersus Pontificios, inprimis Bellarminum: per Io. Allenson. Adversus Guil. Reginaldum.

Cygnea Cantio, hoc est ultima illius Concio ad Clerum, habita Cantabrigiæ anno. 1595. Vita et mortis vera descriptio, cum Epicedia in obitum ejusdem a varijs doctis viris græcè et Latinè Scripta.

Transtulit ex Anglico in Latinum Ioannis Iuelli adversus Thomam Hardingum, volumen.

ALEX-





ALEXANDER NOWELLVS

Exul erat CHRISTI quondam, tandemque NOWELLVS
In Patriâ placidâ mente senex obijt

ALEXANDER NOVVELLVS,


LEXANDER NOVVELLVS Lancaſtrẽſis, Priſca Novvellorum gente oriundus, Theologiæ Doctor, Ædis S. Pauli Decanus; *Marianis* temporibus propter Chriſtum Exulans: Reducum primus, veræ Relligionis, contra Anglo-papiſtas duobus Libris Aſſertor, primæ & ultimæ quadrageſimalis Concionis, per annos 30. p. m. continuos ad S. Elizabetham ſumma libertate Pręco: Scholę Middletonianæ Patronus: Collegij Ænei-Naſi Oxonij (ubi ab an. ætatis 13°. annos. 13. ſtuduit) 13. ſtudioſis & 200. Libris, monetæ Angliæ, opera & impenſis ſuis ampliati Præſes: Scholę Paulinæ plurimorum bonorum Auctor; Pietatis, frequentiſsimis Concionibus, & triplici-Catechiſmi Propagator, qui publicum in ſe utriuſq; Academiæ & Eccleſiarum Exterarum teſtimonium atq; æternorum Principum Edovardi ſexti & Elizabethæ judicium Procerumque provocavit, Pauperum (literatorum præcipuè) Nutritor, Afflictorum morbis Corporis vel Animi Conſolator fuit.

Sedit B. R. P. & Eccleſiæ P. M. 42. nonagenarius, cum nec Animi nec Corporis oculi caligarent.

Obijt an°. D^ni 1601. Feb. 13°. & jacet ſepultus in Eccleſia cathedrali S. Pauli, cum hoc Epitaphio ſupra tumulum.

Quam ſpecioſa veſtigia
Euangelizantium Pacem.

EXul quæ amiſit primævo flore Nowellus
Fœnore centeno repperit aucta redux
Dat CHRISTVS, *reddit danti longævus honores,*
Reddenti æternos gratia dantis habet,

T *Præco,*

Præco, Auctor, Condus, CHRISTO, colit, ampliat, ornat;
Voce, Libris, Opibus, Sabbatha, Templa, Scholas;
Dans meditans, orans, Christi expiravit in ulnis,
Sic oritur, floret, demoriturq; Deo.

SCRIPSIT ET EDIDIT.

Contra Thomam Dormanum Anglo papistam, duobus libris in 4°. Anglicè.
Alius Liber contra Dormanum,
Et Sanderum de transubstantiatione in 4°. Anglicè.
Catechismus Major lat^e. in 4°.
Catechismus minor lat^e. in 8°.
——idem Gracè Lat^e. & Heb^ce.

GVILI-





GVILIELMVS PERKINSVS S.THEO. D.

PERKINSVS Christi defendens dogmatatalis
Vultu erat, ingenium scripta facunda probant

AB

GVILIELMVS PERKINS,



VILIELMVS PERKINS, natus in oppido *Marstoniæ* non procul a Civitate *Coventriæ* in agro *Warwicensi*, (dulci patria mea & natali solo:) in Christi Collegio *Cantabrigiensi* institutus perpolitusq; est: ubi tantas in vera pietate & liberali doctrina progressiones fecit; ut evaserit non modo sedulus & summè industrius Concionator, verum etiam variarum excellentissimarum tractationum solidissimorumq; commentariorum, qui jam extant, conscriptor: quorum operum pleraq; propter dignitatē suam & præstantiam Latine reddita, transmarinisq; typis excusa sunt. Hic eximius vir cujus vita doctrinæ suæ fuit consona, sanctè & incontaminatè vixit: Quod nostris iniquissimis temporibus est maximè rarum exemplum: quippe, in multis ministris Euangelicis et in nonnullis Professoribus Theologiæ, usq; adeò à professione dissidet discordatq; ipsorum vivendi ratio et consuetudo, ut nimium impediant cursum Euangelij, carnalesq; Libertinos in sua pravitate obfirment. Cæterùm, istis relictis, pæna quam reprehensione dignioribus, me ad *Perkinsum* nostrum beatissimum Clarissimum & nervosissimū Theologum refero, cujus doctrinæ et sanctitatis odor suavissimus non solum perfudit omnes Magnæ *Britanniæ* Regiones, sed etiam in *Gallia*, *Germania*, *Belgio*, et in aliqua *Hispaniæ* parte inclaruit. Multa namq; ex ipsius eruditis operibus, sunt in Gallicum, Germanicum, et Teutonicum idioma transfusa. Ejus Catholicus reformatus Hispanicè conversus, non potest a quoquam Catholicorum Regis Catholici refutari.

Hic divinissimus Theologus (prout ejus Effigies oculis representat) dexteram manum mutilam et ad scribendum ineptam habuit. Quot tamen præstantissima volumina et opuscula sinistra manu conscripserit non tam omnes Christi Collegij Alumni, quam tota Academia

demia Cantabrigiensis satis luculenta perhibebunt testimonia. Sed (eheu) Deus nostris peccatis offensus, hunc fidelissimum servum suum in ætatis vigore, ad Cœlos transtulit, utpote quo iste mundus nimis fuerit indignus. Ægrotavit & diem ultimum obijt Cantabrigiæ anno 1602. universis Academicis ejus mortem dolore & lachrymis, prosequentibus, & nonnisi quadraginta quatuor annos natus, supremo honore funebribusq; exequijs celeberrimè, pro more Academiæ, decoratus fuit.

IN G. PERKINSVM, POETA QVIdam peracutus sic scripsit;

O Mihi post nullos, Perkinse colende, Ministros,
Qui fueras verbi Buccina magna Dei:
Dextera quantumvis fuerat tibi manca, docendi
Pollebas mirè dexteritate tamen.
Vox tua viva viros cœlesti Nectare pavit:
Mortua scripta volant docta per ora virum.

CATALOGVS OPERVM PERKINSIANORVM.

Fundamentum Religionis Christianæ.
Armilla aurea, vel Theologiæ descriptio.
Commentarius in Symbolum Apostolicum.
Expositio orationis Dominicæ.
Declaratio vtrum quis sit in statu Damnationis, vel in statu Gratiæ.
Casus quidam conscientiæ.
Glossologia (sive Lex linguæ) *à Th. Draxo Latinè reddita.*
De natura et praxi Resipiscentiæ.
De pugna Carnis & spiritus à Tho: Draxo Latinè conversâ.
De benè vivendi ratione in omnibus ordinibus et temporibus.
De benè moriendi ratione.
Tractatio de conscientia.
Catholicus Reformatus.
De vera ratione cognoscendi Christum Crucifixū, Granum Sinapi, *Has duas Tractatiunculas Latinas fecit. T. D*
De vero lucro omnibus terrenis divitijs pretiosiore.
De idololatria novissimorum Temporum: Latinè nondum extat.
De liberâ Dei gratiâ, & libero hominis arbitrio.
De vocatione, (sive varijs vivendi institutis).
De Prædestinatione, Tractatus quem auctor Latinè emisit in Lucem.
Digestum (sive Harmonia Biblica)
Dialogus de consumatione sæculi.

POSTHVMA PERKINSI OPERA SEQVVNTVR

Tres libri de casibus conscientiæ à Thoma Draxo, & etiam ab eximio viro Wolfango Meyero, in Latinum idioma transfusi.
Comentarius in quinq; prima capita epistolæ D. Pauli *ad* Galatas, *& commentarius adjunctus in sextum caput auctore Richardo Cudwortho.*
De Christiana æquitate, divulgatore Guilielmo Crasshavio.

De figmementis (sive imaginationibus) hominis, publicante Thoma Pierſono.

Problema, adverſus Coccium, *ac Perkinſo Latinè editum & publici juris factum a* Sa. VVardo *Theol. Profeſſ.*

Clavis Prophetica, ab auctore Latinè emiſſa, & in lucem prolata a Th: Tuko.

Commentarius in Chriſti concionem in monte habitam, ſive in. 5 6. 7. capita Matthæi, operâ Th. Pierſoni.

Commentarius in tria prima capita Apoclypſeωs, operâ Roberti Hilli & Thomæ Pierſoni.

Matth. 4. a verſ. 1. ad 12. *De Chriſti Tentationibus, ſive, Monomachia inter Chriſtum & Diabolum, publicantibus* R. Hillo *&* Th: Pierſono.

Adhortatio ad Reſipiſcentiam, Textus Zeph. 2. ver. 1. 2. *ope* Guilielmi Craſhavij.

Duæ excellentiſsimæ tractationes de Miniſtrorum vocatione, ope Guil: Craſhavij.

Commentarius in Epiſtolam Iudæ, *operâ Th: Pickeringi.*

Baſcarologia, *ſive de arte venefica tractatio, edita a Th: Pickering, & interprete Th. Draxo.*

Certa reſponſio, ſive Declaratio ad hominem ruſticũ adverſus libros prognoſticωs, ab ipſo auctore conſcripta.

Chriſtiana Oeconomià, ſive Diſciplina domeſtica, ab ipſo auctore Latinè conſcripta.

IOHAN-





IOHANNES WHITGIFTVS ARCHEP'

Whitgiftus ruptis vinclis Romana relinquens
Sacra prius, sese meliores vertit ad vsus

AB

IOHANNES VVHIT-GIFTVS.



OHANNES VVHITGIFTVS, ex antiqua familiâ *Withgiftorum* de *Whitgiftia* in Comitatu Eboracensi oriundus, & Henrici *Whitgifti* mercatoris de magna *Grimsbeia* in agro *Lincolnienſi*, filius natu maximus fuit. Habuit Patruum cui nomen erat *Robertus Whitgiftus*, Monaſterij *Wellowenſis* in comitatu *Lincolniæ* Abbatem. Aquo patruo,in pueritia eruditus eſt, cujus patruus(prout Archiepiſcopus ſæpe numerò narravit)pro re nata ei dixit, neq; ſe, nec Religionem ſuam,poſſe diu permanere, quoniam (inquit ille) totam Scripturam ſacram ſubinde evolvi, & nunquam ex ea potui cognoſcere noſtrã Religionem fuiſſe Divinitus inſtitutam, & opinionẽ ſuam confirmaturus, ſolebat illud *Servatoris* Apophthegma producere, *omnis planta quam non plantavit pater ille meus cæleſtis, eradicabitur.* Matth. 15. 13.

Hic ejus Patruus eum ſpectatiſsma indole & ad virtutem factum & fictum inveniens, *Londinum* miſit, ubi in Schola *Antonianâ* operam literis navabat, poſtea illum in literis magnopere progreſſum, parentes ejus, (Abbate Avunculo in Conſilium adhibito) miſerunt *Cantabrigiam*. Primò, ſtuduit in *Collegio Reginali*, ſed illud domicilium minus probans, ſe tranſtulit in *Aulam Pembrochianam*; cujus Præfectus fuit Nicolaus *Ridleius* (poſtea Epiſcopus Londinenſis factus, & Martyrio coronatus) certior factus a Domino *Bradfordo Whitgifti* Tutore, de juvenis indole, probitate & exiguis vivendi præſidijs (pater enim adoleſcentis, damna Marinâ paſſus, filium alere minus potuit) conceſsit ei in illa Aula Diſcipulatum annoq; 1555. cooptatus eſt inter ſocios *Domus Petri*, Andrea *Pearno* eidem Ædi præſidente, qui regnante Martyricida *Maria* ei favit, & ejus perſpectam in Euangelica Religione affectionem, conni-

connivendo dissimulabat.

Susceptis Gradibus Baccalaurei & Magistri Artium & Baccalaureatus Theologici, ad Doctoratus gradum altissimum, ascendit, & hanc Thesin propugnavit, *Papa est Ille Antichristus*; Egregiusq; concionator extitit & è Socio, altius evectus successit Doctori Hutteno (non ita pridem Eboracensi Archiepiscopo) in Magisterio Aulæ *Pembrochianæ*, et fuit Doctori *Coxo* Episcopo Eliensi, á sacris.

Designatus etiam est sacræ Theologiæ Professor *Margaretanus*: (quippe Domina Margareta piæ memoriæ illam prælectionem fundaverat) quod munus tanta cum laude executus est, ut non ita multo post, factus fuerit sacræ Theologiæ professor Regineus. Et accitus, ut coram Regina Elizabetha b. m. concionem haberet, tantopere eum approbavit Regina ut illum *Collegio* Sanctæ & Individuæ Trinitatis & juramento imposito inter suos sacellanos annumeraret; anno 1567. Ad decennium, fuit Magister illius Collegij tota Academia ei admurmurante & acclamante, exceptis Thoma Cartvvighto & pauculis alijs, qui sese Ritibus & ceremonijs Ecclesiæ Anglicanę ab illo defensis opposuerunt.

Regina ascivit eum ad Decanatum Lincolniæ, quem (illo septennio in quo Cantabrigiæ mansit,) tenuit. Suâ prudenti industriâ & venerabili moderatione multos pupillos doctrinâ eximiâ expolijt & exornavit, ex quibus quinq; postea vidit ad Episcopalem dignitatē excitatos putà. *Redmannum* Episcopum *Norwicensem*; *Babingtonum* VVigorniensem; *Rudd*, *sancti Davidis*; *Golsbourghum*, *Glocestrensem*; & *Benedictum Herefordensem*; Præterea alumnos et Discipulos habuit multorum Magnatum filios, nimirum *Wigorniæ Comberlandiæq;* comites, Baronem de la *Zouch*, Baronem *Dunboyrium* ex *Hiberniâ*. Nicolaum *Baconum* & Franciscum *Baconum* ex equestri ordine & alios complures.

Decanatus Lincolniensis ad septennium, potitum Reginea Majestas, anno 1577. eum Episcopatu *Wigorniensi* decora-

decoravit. Valedicturus Academiæ, pro Themate elegit
2.Cor.13. 11. illa verba Paulina quibus ille suis *Corinthijs* valedixerat.

Anno (plus minus) post inaugurationem Episcopalem, Propræses VValliæ constitutus est, summus autem Præses fuit Henricus *Sidnejus* eques verè auratus, deinceps verò, anno 1583, statim ab obitu Archiepiscopi *Grindalli*, Regina eum ascivit ad Archiepiscopatum *Cantuariensem*, & exiguo intercedente tempore, in sacrũ consiliorum suorum senatum illum retulit.

Fuit Reginæ Elizabethæ, (quamdiu illa regnaret), in delicijs, & tam inusitata familiaritate reverendum Patrem amplexa est, ut illum nigri sui Mariti nomine appellare dignaretur. Cæterùm, cum hæc illustrissima & decantatissima Regina, mortifero morbo laboraret, & propter Melancholiam esset colloquij impatientissima, tamen *Episcopi* monitis benevolas prębuit aures, quinimò, cum esset muta & ἄφωνος, ejus animus precanti assensus est, quam rem signis & indicijs prodidit, & ita manifestum fit quam religiosè hæc præcellentissima Regina moreretur, Martij 24.° 1602.

Tum *Rex Iacobus*, ut qui fuerit justus et legitimus regni hęres, successit Reginę, et Sceptrum excepit, quem Archiepiscopus inunxit et capiti coronam Regalem imposuit, et apud Regem gratiâ et auctoritate valuit, nihilominus mortem *Reginæ*, ejus veteris et propitiæ *Dominæ* internis lamentationibus prosequutus est, et multos menses non supervixit, sed mense Februario sequente, ægrotare cæpit, *Rex* rumore ægrotantis Archiepiscopi valdè perturbatus, accessit *Lambitham* eum invisurus, et quibusdam jucundissmis sermonibus præmissis, addidit se *Archiepiscopi* vitam à Deo petiturum. *Archiepiscopus*, Regem Latinè alloqui enitebatur, sed nulla verba ab eo emissa intelligi potuerunt præter hæc tria, *Pro Ecclesia Dei*, quæ sæpe iterabat, & fuerunt verba ejus novissima, & intra paucos dies animam exhalavit ultimo Februarij anno D^ni^.1603, ætatisq; suæ septuagesimo tertio cum plusquam viginti annos in Archiepiscopali sede

ſediſſet. Humatus eſt ab auſtrali parte Eccleſię Croydonenſis,ubi ab hęredibus memorię ejus monumentum erectum eſt pulcherrimum, modeſtiæ tamen illius congruentius quam cæteris tanti viri virtutibus, mauſoleo tantumvis ſuperbo non indignis.

Multa charitatis opera paſsim effecit ubicunq; vixiſſet, nempe, *Lincolniæ*, *Wigorniæ*, in *Cambriæ* limitibus, in *Cantio*,& comitatu *Suthreyenſi*, ſed, quod eminentiſſimum eſt Ptochotrophium pulcherrimum ſacroſanctæ Triadis fundavit Croidonſæ, in quo Cuſtos & Viginti octo fratres & Sorores aluntur, cui adjunxit liberam Scholam pulchritudine præſtantem,& ludimagiſtri domicilium ædificavit,& in perpetuum, illa loca ſatis liberali dotavit ſtipendio. Multi è Sacellanis ejus, quorum aliqui in hodiernum diem ſuperſunt, eo vivente, ad Epiſcopalem amplitudinem pervenerunt.

Nullos libros, qui extant, conſcripſit,ſed tantummodo unum magnum volumen Anglicè edidit, in quo Ritus,Ceremonias & Eccleſiæ Anglicanæ politiam Eccleſiaſticam defendit.

Siquis deſiderat pleniorem Archiepiſcopi & ejus vitæ expoſitionem, remitto eum ad luculentam illius deſcriptionem & enarrationem,a *Georgio Paulo* equite aurato prȩclarè contextam,& anno 1612. Anglicè excuſam.

EXTAT AVTEM EIVS

Concio coram Regina Elizabetha 24°. Martij anno 1574 textus Iohan. 6. verſ. 25. 26. 27. Anglicè.

IOAN-



IOANNES RAINOLDUS

Cum vibrat doctæ RAINOLDUS fulmina linguæ
Romanus trepidat Iupiter, et merito.

AB

IOANNES RAINOLDVS.

IOANNES RAINOLDVS Patria Devoniẽsis, Musis innutritus est *Oxoniæ* in Collegio *Corporis Christi* (in cujus ore veram verè mortificati hominis jdèam intuere) ubi in Sociorum numerum cooptatus & Doctoratūs gradu exornatus est: tamque admirabiles in pietate & literis reconditioribus, imprimis verò in Theologicorum mysteriorum scientia progresiones fecit, ut Academiæ Lumen, Europę decus, Divinæ gloriæ Buccinator; sanctitatis eximium exemplar, & diligentissimus in Pontificios Scriptor fuerit. Cujus volumina quotquot in lucem prodierunt extant omninò inconfutabilia: Sed in ipso cursu, proh dolor, mors eũ oppressit. Nam, ingratus mundus, tanta stella fuit plane indignus. Plures ei fuere fratres, omnes (quemadmodum ex auditione accepi) Papismi fumosa caligine occęcati, & maximè *Guilielmus Rainoldus* seu *Reginaldus* prout ipse scribit, qui seditiosos & pestilentes libros adversus beatissimã *Reginam Elizabetham* ejusq; Regnum florentissimũ conscripsit. Vnde non modicus dolor huic religiosissimo & summè erudito Theologo est inflictus. Nullam eminentem in Ecclesia dignitatem unquam voluit accipere præterquam *Lincolniæ Decanatum*, quem citò transdidit alteri. & prędicto Collegio præfuit: ac pro tempore Theolog[x]. professor in Collegio Reginali factus est, ubi illo munere ad extremum vitæ suæ diem perfunctus est.

Operęq; pretium cognoscere quã imminente periculo fuit liberatus, anno, 1602. dum Londini diversaretur, & quodam die animi causa deambulatum in *Agros-Fensburienses*, ubi complures Sagittarij sagittis jaculabantur, prodiret: casu quodam sagitta ejus pectus perculit, quæ (nisi Divina intervenisset) corpus ejus transverberasset: Nam anterior facies, bipatentes sc. Togæ illius partes, fuit holoserica: pannus etiam subdititius Linceus

ille quidem, ſed indurus & inflexilis utpote preſſurâ undulatim rigoratus Brandium quidam vocant, unde ſine tantilla viri læſione, ſagitta reſilijt. Quod rarum divinæ providentiæ in famuli ſui conſervatione opus, cujus ipſe ſui αὐτοπτης teſtis, ingrato ſilentio minimè ſupprimendum cenſui.

Illuſtris hic Doctor Oxoniæ expiravit & perhonorificè ibidē ſepultus eſt, A°. 1607. jacetq; in ſacello Corporis Chriſti cum Imagine ejus & hac Inſcriptione;

VIRTVTI SACRVM.

Io: Rainoldo Theologiæ D. eruditione pietate incomparabili, hujus Collegij Præſ: qui obijt Maij xxi°. Anno 1607 ætatis ſuæ 58°. Io: Spencer, Auditor, Succeſſor, virtutum & ſanctitatis admirator.

H. M. Amoris ergo poſuit.

SCRIPSIT RAINOLDVS, QVÆ EDITA SVNT,

De Romanæ Eccleſiæ Idololatria, adverſus Bellarminum Greg. de Valentia & alios, Operis inchoati libri duo.

Sex theſes de S. Scriptura & Eccleſia, contra Stapletonum, Martinum, Baronium, Bellarminum, & Iuſtum Calvinum Veteracaſtrenſem, auctæ anno 1602.

Summa Colloquij ejus cum Ioanne Harto Anglo-papiſta, de Capite & fide Eccleſiæ, anglicè ab eo conſcripta, & ex anglico ſermone in Latinum converſa, Henrico Parreo Glouceſtr. Epiſc. interprete.

Concio Euchariſtica propter Proditorum apprehenſionē in Pſalm. 18. verſ. 47 uſque 51. } *anglicè*

Concio de deſtructione Idumæorum in Obediam verſ. 5 & 6. } *anglicè*

Cenſura Librorum Apocryphorm veteris Teſtamenti, adverſus Pontificios, imprimis Bellarminum, prælectionibus ducentis & quinquaginta poſthumis in Academia Oxonienſi tractata. Opera poſthuma.

Orationes duæ, habitæ quum linguam græcam profiteretur an°. 1576. Oxoniæ. Opera poſthuma.

Orationes & Epiſtolæ cum alijs quibuſdam opuſculis poſthumis:

RICHAR-



RICARDVS VAVGHANVS.

Londini Præsul CHristi cum præco triumphos
Intonat, ut vixit, sic pius hinc moritur AB

RICHARDVS VAVGHANVS,

RICHARDVS VAVGHANVS, oriundus fuit è *Wallia*, & Cantabrigiæ in Divi *Iohannis Euangelistæ* collegio, operam literis navavit, ibiq́ Doctoratus in Theologia gradum & insignia accepit: cumque esset Reginę Elizabethę â sacris, primùm provectus est ad Episcopatum *Bangorensem*, anno 1596. & sequente anno ad Episcopatum *Cestrensem* translatus: postremò verò ad Episcopatum *Londinensem* elatus, anno 1604. Cui noster ingeniosissimus Epigrammatesta, hæc scripsit subsequentia Epigrammata.

PRæsul es (ô Britonum decus immortale tuorum)
Tu Londinensi primus in Vrbe Brito.
Hi mihi Doctores semper placuere, docenda
Qui faciunt, plus quam qui facienda docent.
Pastor es Anglorum doctissimus-optimus ergo.
Nam facienda docens ipse, docenda facis.

De hoc autem præstanti viro nihil amplius dicam, quam quod doctus vir ejusdem *Gijmnasij* jam de ipsius merita laude & encomio in hæc verba scripserit; Dum fuit in collegio, propter studiorum intentionem, illud cohonestavit: propter concionandi labores toti fuit ornamento Academiæ, & ad Episcopalem dignitatem vocatus, non solum mansit vigilans, prudens & moderatus Ecclesiæ Rector, sed etiã effiicax & scientissimus concionator: nam, sive loqueretur, sermo ejus fuit sententiosus: sive consilium daret, consilium ejus fuit religiosum, sive admoneret quempiam, ejus commonefactiones erant gratiâ plenę; sive censuram adhiberet, censura ejus erat recta & cum judicio: homines adhortatus est ad omnem pietatẽ & religionis veritatem: & sese summo cum animi, zeliq; ardore (prout ex ejus doctrina & vitâ apparet)

omni

omni ſuperſtitioni oppoſuit. Vtq; comprehendã brevi, valdè quidem doctus fuit; vitę verò ſanctimoniâ melior, Quod (ſi ipſius mox ſubſecuturam fælicitatem ſpectemus) mors ejus cenſeri debet optima. Vita jam functus (prout in votis ſuis habuit) abſq; ulla exequiarum honorificentia & ſolemnibus ceremonijs, in Divi Pauli eccleſia Cathedrali humatus & ſitus eſt anno 1607.

EIVSDEM EPIGRAMMATA
in ejus obitum.

QVi te viventum laudavi nuper abundè,
Te, ratus eximijs laudibus eſſe parem:
Heu cur defunctum te prædico parciùs? auxit
Letitia ingenium diminuitq; Dolor
Dum plures pro te Lacrymas quàm carmina fundo,
Confundunt lacrymis ſe mea verba: Vale.

De Vita & Morte.

Vna via eſt vitæ, moriendi mille figuræ.
Eſt bene: nam Mors eſt res bona, vita mala.





GERVASIVS BABINGTON EPIS: WIGORN

Nobilis ingenio, virtute et clarus ab omni
BABINGTON ſuperat generoſæ ſtirpis honores

GERVASIVS BABINGTON,



GERVASIVS BABINGTON, natus in Comitatu Notinghamensi, oriundus ex antiqua et generosa Babingtonorum familia (illius Comitatus) ibidem prima eruditionis imbibit rudimenta: inde verò a pijs suis Parentibus Cantabrigiam missus, in SS^æ. Trinitatis Collegio (celeberrimorum virorum seminario) insignem in studijs fecit progressum, sub tutela et disciplina Reverendissimi Beateq; memoriæ viri Ioannis VVhitgifti ejusdem tunc Collegij Magistri, et posteá Cantuariensis Archiepiscopi longè dignissimi.

Ita autem in literis profecit hic noster Gervasius, ut magna cum laude gradibus insignitus, ejusdem factus sit Collegij socius, et quum animum suum studio Theologico imprimis applicaret, excellens et insignis Verbi divini factus est Præco in Academia; inde vero, S^æ. Theologiæ designatus Doctor, vocatus est ab Henrico Nobilissimo Pembrochiæ Comite ut ipsi esset a sacris, cujus favore primum Thesaurarius Ecclesiæ *Landavensis* in VVallia fuit ordinatus, postea autem ejusdem Dioceseos electus Episcopus, anno D^ni.1591. Postquam annos circiter quatuor in hoc Episcopatu sedisset, ob singularem ejus pietatem & eruditionem, ab *Elizabetha Regina* B. M. translatus fuit ad Episcopatum *Exoniensem*; Vnde triennio vix expleto, ad sedem *Wigorniensem* fuit promotus. Notandum autem est quod magnis hisce dignitatibus non sit factus segnior (ut plerisq accidit) cum in Euangelij prædicatione ad animarum conversionem & nutritionem; tum in Librorum scriptione ad Scripturarum elucidationē, adeò ut aliorum exemplo fuerit vigilans Pastor, insignis Scriptor, & prudens Gubernator: qua de re factus est autem Vice-præses Regij Concilij in Marchijs VValliæ: & de quo, vir quidem non indoctus sic scribit;

TV Præsul clero, laicis Vice præses: utrosque
Præceptis formas, judicioque regis,
Merces dupla tibi est, & laus tibi debita duplex:
Nanque duplus labor est, & tibi cura duplex.

In Episcopatu VVigorniensi vixit annos circiter xiij. Icterico morbo correptus placidè in Domino obdormivit, & terrenam hanc vitam cum cælesti commutavit, anno partæ salutis 1610. ætatis autem suæ sexagesimo. Sepultus fuit non sine gravi luctu consuetis solennitatibus in Ecclesia Cathedrali VVigorniæ, mense Maij.

EXTANT ANGLICE EIVS.

ANnotationes Consolatoriæ in Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros & Deuteronomium.

Item, in x. Præcepta, fidei Articulos, & Orationem Dominicam.

Collatio inter humanam fragilitatem & fidem.

Conciones tres.





THOMAS HOLLANDVS

HOLLANDVS docuit diuini dogmata Verbi
Et Pugil aduersos strauit. feliciter hostes

AB

THOMAS HOLLANDVS,



HOMAS HOLLANDVS, patria Salopiensis in finibus & limitibus *Cambriæ*, literarum ſtudia ſecutus eſt *Oxoniæ* in Collegio *Exceſtrenſi ſeu Exonienſi* (hunc cum propter Nominis cognationem tum etiam eruditionē & alias animi dotes ſupradictis viris illuſtribus annumero) ubi ſubordinatis gradibus ſuſceptis culmen ipſum Doctoratus attigit, & multos annos Theologiam in prædicto Gymnaſio profeſſus, Rector factus eſt, tandem ob ſingularem doctrinam, cognitionem & pietatem, communibns ſuffragijs electus eſt Theologiæ Profeſſor Regius ſive Doctor Cathedrę; ſucceſsitq; Laurentio Humfredo. Quem locum multorum annorum decurſu (omnibus tam exteris quā Academicis acclamantibus & approbantibus) tenuit.

Quam eximiè eruditus quamq; vere religioſus fuerit ex ejus varijs et doctis diſputationibus elucet, quæ etiamnum in quorundam manibus teruntur, eas autem nondum imprimi, *indignum eſt*.

Et (ut de ipſo teſtatur vir quidam doctus in concione quadam funebri typis edita) erat alter *Apollos*, potens in Scripturis, adeoq; cum Patribus familiaris ac ſi ipſe Pater, & cum Scolaſticis ac ſi Seraphicus Doctor, ab ejus ore tamquam ab Oraculo, quævis dubia ſolvebantur, digniſsimus itaq; erat qui Cathedræ Doctor deſignaretur, quam poſſedit annos circitèr xx., magno cum applauſu & approbatione, dixeram ferè, admiratione.

Ex ejus Scola quot rutilantes Eccleſiæ noſtrę prodierunt ſtellæ? erat verè, (quod Greg: Nazianzenus de Patre ſuo comparatè dicit) Abrahamus, Pater multorum filiorum, creatione videlicet ſcolaſtica, ad ſummum eruditionis gradum: & quamvis prætercam multorum Reverendorum Epiſcoporum nomina qui hoc jure ejus erant filij, non poſſum tamen ſilentio negligere, binas Eccleſiæ noſtræ Columnas, Reverendiſsimos & Spectatiſsimos

tatiſsimos Patres Georgium Abbatum Archiepiſcopum Cantuarienſem, & Iohannē Kingum Epiſcopū Londinenſem. Et ut multa paucis comprehendā, non tantū erat Præco veritatis, ſed factor veritatis, ſedulus orthodoxæ Profeſſor, Zeloſus veræ Religionis propugnator, Magnus jdololatriæ Superſtitionis & Religionis depravatæ oſor, quod manifeſtavit plenius Collegij ſui ſocijs ſi quando iter aliquod ſuſciperet, eis valedicēdo, his verbis, *Commendo vos dilectioni Dei & odio Papatus & Superſtitionis.* Quemadmodum autē ſtrenuus erat veræ Religionis Athleta, ita in converſatione erat pietatis & probitatis Exemplar, quod imprimis apparuit ſub vitæ ipſius finē, toto enim tempore quo ęger decumbebat, totus erat in Sanctis Orationibus & meditationibus devotis, imò animam ſuam Deo viſus eſt effundere, anhelando (brevior cum jam ipſi eſſet anhelitus) iſta et ſimilia verba, *Veni, O Veni Domine Ieſu, Stella matutina, Veni Domine Ieſu, cupio diſſolvi & tecum eſſe*, hæc cum dixiſſet, animam placide Deo reddidit, hanc vitam pro meliori relinquens: Obijt et ſepultus eſt *Oxoniæ*, honorificè quidem pro more Scholarum, menſe Martij, Anno 1612. quum eſſet plus minus ſeptuaginta tres annos natus.

VERA EFFIGIES PONTIFICIS Romani in gratiam et honorem PAVLI Papæ Quinti conſecratum.

MOnſtrum immane, Ingens, tenebroſo emerſit ab Orco,
Venturum vates quod cecinere prius:
Hoc pecus Horriſonum, faſtu ſe jactat inani,
Semi deumq; virum, ſemi-virumq; Deum
Seque Dei in terris vice fúngi; Regnaq; Mundi
Arbitrio fingit, ſe dare poſſe ſuo.
Regibus; ipſius pedibus qui baſia figunt;
Promittit Regnis addere Regna nova:
Regibus at; verè qui verum numen adorant;

Aſſolet

Assolet infandis demere regna dolis.
Sic Satanas *quondam, se maxima regna daturum*
Christo *est mentitus; divitiasq́; soli;*
Fraudibus his Christum *tentans, ut pronus adoret*
Numinis ipsum instar; vota precesq́; ferens.
Jure Deus solus Regnum cui vult dat, & aufert:
Priscorum ut vatum pagina sacra docet.
Ut Satanas *mendax, sic mendax* Bellua *Romæ;*
Non Christi, *at* Satanæ *fungitur ergo vice.*



NOMINA EORVM QVÆ in primo tomo continentur.

NOMINA EORVM QVÆ in secundo tomo continentur.

Episc. *Abbatus*, & Episc. *Montagu*, in hoc loco continent sed errore in aliam Paginam inueniuntur.

AD BENEVOLVM LECTOREM.

EN benigne Lector, elegans & doctum viri clarisſ^mi Hugojani Grotij Syndici nunc Roterodamenſis, carmen, olim ab ipſo adhuc adoleſcente luſum; quod animam atque ſpiritum addet, atque adeò inſpirabit mutis hiſce imaginibus: tam n. eleganter exprimit Heroum Naſſoviorum geſtas res, & laudat veriſſimis elogijs Authores tam celebratæ & nobis meritò adamatæ gentis, vt nihil a quoquam vel dici verius, vel exprimi elegantius poſſit. Tu oculos animumque ſimul paſcendo, fruere, & vale.

CARMEN PANEGYRICVM,

Illuſtriſ. NASSOVIORVM familiæ dict:

AB H. GR. V. CL.

Septemplex genus, ex vno, ſtirpemq; renatâ
Fœcundam virtute cano, cui fata tuendi
Iuſtitiam partes tribuunt, vt ſemper iniquos
Fortuna famulante premat: quam ſæpe rebelles
Horribilem placidamq; hoſtes ſensêre ſubacti.
Non illa exiquâ paulatim ab origine creſcens
Temporis auxilio, magis vt procederet, vſa eſt;
Non æui laſſata moris poſt tanta ſeneſcit
Sæcula, defectaq; à nobilitate remittit
Degener: ex ſuperans alias ſe ſemper adæquat.
Hàc cœpit quâ finis erit; iam tempore magnis
Elapſo ſpatijs tanquam modò nata vireſcit.
Romulei vectum dedit hæc ad culmẽ ADOLPHVM
Imperij; felix felix foret ille, negatum
Iure niſi Auſtriades bello quæſiſſet honorem,
Et coniuratis ambiſſet ſceptra Bohemis.
Quinque hæc ipſa duces gaudenti protulit orbi,
Quos penes optandi ius eſt ex more vetuſto

* *Cui*

Cui domino parere velint, & viuere cuius
Cæsareis totum cupiant sub legibus orbem.
Nam tu DIEDERICVM *Germano cæsare clarum*
Treuir habes: IANVM *populosa Moguntia adorat,*
GERLACVM *simul & destinctos tempore* ADOLPHOS.
Quis genus egregium formidatamq; tyrannis
Progeniem, & belli tot fulmina, totq; canenti
Semideos, quorum pietas victricibus armis
Æmula testatur non solo robore vinci,
Hippocrenæo labijs arentibus haustus
Sufficiat de fonte liquor? maiora poëtæ
Omnia cum referant, sunt hæc maiora poëtis;
Cum nihil haud fingant, si gens spectabitur ista
Nil veris æquale dabunt: non castalis istis
Vnda sat est. Dic Serra mihi, cur sanguine mistus,
Quoq; fluas authore tuas quis pinxerit vndas:
Vosq; Lycaonij populis narrate coloni
Vicina Iconij qui mœnibus arua iuuentis
Finditis, offenso quoties sub vomere teli
Dissiliant fragmenta solo, vel qualia passim
Ossa crepent, tractisq; impulsa cadauera castris
Rapta quod integrior Sultani e faucibus esset
Pars Asiæ, nec victa foret pars tertia mundi
Vnius predonis ager, si vera fatemur,
NASSOVIÆ *est virtutis opus; namq; agmine primo*
Millia ductabat decies ibi sena ROBERTVS.
Arbitrio felix hoc Barbarossa fuisti,
Qui primus, quod nos quoque tot post secla videmus,
Vidisti, & toti sensisti congrua mundo,
Huic generi seruire Deos: quis vincere cordi est,
NASSOVIOS *optate Duces: spes certa tryumphi est.*
Hoc quingentorum decies cum strage virorum
Ad huinegata docet cæsis victoria Gallis
Ex ipsâ reuocata fugâ, cum vincere iussit
ENGELBERTVS *eos, qui iam cessère pauori.*
Idem etiam missus ferendi fœderis author
Exemplo docuit non solo Marte potentes
NASSOVIOS: *Idem Flandras moderatus habenas*

Bruga-

Brugarum indomitas toties compeſcuit iras,
Dum verbis animos regit, & fera pectora mulcet.
Sic nullis ingratus erat, populiq́ue ferocis
Rectorem metuebat amor. Saguliq́ue togæq́ue
HENRICVS *geminis patruum virtutibus æquans*
Legatus cum laude fuit: pacemque negandam
Poſcere te, quam Galle, datam temeràſſe ſolebas
Compulit, & fruſtra quondam contempta paciſci
Fœdera fulmineo perrumpens Marte coëgit.
Quo feſſum RENNATE *vocas? tua maxima virtus*
Anguſto ſpectata diu mea carmina terret,
Infirmasq́ue oneri tanto ſuccedere Muſas.
Nec tamen ignotâ rapiet ſub nube vetuſtas
Facta tua, aut ſæclis obliueſcentibus ætas
Tanta Trophæa teget: namque hæc ne corda laterent
Poſtera prouidit charo tibi numine fatum
Felici cupiens vicino viuere ſæclo.
Nos priſcos potius Comites, ſtirpemq́ue canamus
Quam ſtantes aptat ſuſtentans linea ductus
MAVRITIO, *noſtroq́ue duci procul arduus ordo,*
Præcipitiq́ue viâ decurrens regula iungit,
Declinesq́ue gradus; cuius protendere nomen,
Si nihil egiſſet tanto iam tempore dignum
Gloria præſentes cuius pertingeret annos,
Vnica ſufficeret tam magni fama nepotis.
Pannonius patrij numen iurauerat iſtri
Deuicto galeas demum deponere Rheno:
Non illud tolerauit OTHO, *vindexq́ue pudoris*
Teutonici, & toties iam rupti fœderis vltor,
Intrepidam domuit gentem: nam cæſa cruentis
Mille quater decies iacuère cadauera ripis:
Hoc Rhenum tenuère modo, frontesq́ue reliquit
Caſsida: non ante in iugulum Germanicus enſis
Altius Hungaricum deſcenderat: hoc duce primum,
Imperij reparatus honos: Alamannia tantum
Huic debet quantum tot dudum a miſerat annis.
Sed præter domitos celebrandis cladibus Hunnos
Qui Colopinq́ue Sanumq́ue bibunt amnemq́ue Bagunti,

NASSOVIIS semper Mars quantum indulserit armis
Damiata testis erit, meritusq́ vocabula Sclauus,
Illiricusq́, & qui Naronis flumina potat.
Felicem nimium gentem cui militat ipse
Militiæ Deus, & iurant in classica Diui?
Quos successoris VVALRAVVM iure secutos
Est toties miratus OTHO, Magnique probauit
NASSOVIO sudore notam nil fortius illo:
Ne causam mirère tamen, nil iustius illo.
Cum tibi vicino peteretur culta Triboccho
Alsatia, & multis felix Lotaringia castris
Gallorum, Lodoïce, manu, VVALRAVIA virtus
Emicuit, causæq́ nihil confidere iniquæ
Admonuit: iussis rursum tibi missus in armis
Suppetias tulit, & duros vltura rebelles
Patria Parrhisiam tentoria fixit ad vrbem,
Et præscribendâ multauit pace Capetum,
Pallida translatum cum vidit Gallia Rhenum
Despectas ausum per tot iuga ducere leges.
Tanta fides, iurisq́ metus seruatur honesti
Huic fuit, & quotquot tanto sunt semine creti.
Hic VVenceslai fraternâ cæde madentem
Esse Deum docuit, regeret qui bella, Bohemum:
Cum fatum secum traheret, nil profuit illi
Lustrorum mora longa trium: non degener idem
Nunquam maiores infami cæde fugauit
Pannonios, galeisq́ Lycum victricibus hausit.
Hunc sequitur patrij VVALRAVVS nominis hæres.
Ille ROBERTE tibi pater est: te prælia bina,
Et decies senas Henrico Cæsare pugnas
Intrepidâ gessisse manu (quis credere posset?)
Non dubitant nunquam dubitandi tradere Fasti.
Restituens puero rectori totius Orbis
Depositum ad iustos fouisti principis annos.
Vincenti toties non vnquam defuit hostis
Semper erat tibi Saxo ferax: tua dextera & ipsam
Sub iuga vi captam Romam Romana redegit,
Pannonicisq́ eadem multum est ditata Trophæis.

O ſemper te digna gerens, ſempérque renatâ
Nobilitate virens, nunquam tibi degener ipſi
Et cuius ſobolem genitorum Fata ſequuntur
Vna domus toties vnâ de gente triumphans.
Hinc alius VVALRAVVS *adeſt: gratiſſimus ille*
Cæſar erat Conrade tibi: qui fidus vbique
Cæſareas Aquilas Romanaque *pila ſecutus*
Saxonas & Bauaros domuit, fratremq́ ſuperbi
Hungaricis fretum auxilijs, ſiculoſq́ minantem.
Illius & Phrygiæ valles, quas clade cruentâ
Montibus æquauit, virtutem dicere poſſint,
Meandrique vagos toties mutantia curſus
Flumina, quæ largos mutarunt ſanguine fluctus.
Quàm propè tunc fuerat Solyme vt deuicta fuiſſet?
Hoc quoque debuerat titulis accedere tantis.
Perfide cur Manuel ſociorum laudibus obſtas?
Natus eo HENRICVS *ſtudioſum pacis* OTHONEM
Progenuit, natuſq́ iterum eſt HENRICVS *ab illo*
Nomine auum referens, pacatâ mente parentem.
Hoc poſt tot magno genitos Mauorte Quirinos
Profuit eſſe Numas. Hinc nomen Diuitis illis.
Optimus HENRICVS *latè ditionibus æquis*
Rauracios ſaltus, & Norica rura tenebat.
Teſtis opum ſolus naſcentis conſcius Iſtri
Abnoba, quem citrà locuples regnabat, & vltrà.
HENRICO *generatus* OTHO, *cui Loïna ritè.*
Fraternas diſtinxit opes, atque arbiter amnis
Fines rexit, aquiſq́ interluit arua ſequeſtris.
Tertius HENRICVS *genitorem iactat* OTHONEM,
Qui Dillenbergas æquauit nubibus arces.
Poſtquam HENRICVS *erat cupidis præreptus ab aſtris,*
Huic ſuccedis OTHO *viti cognomine Burgo*
Parteq́ Grimbergæ, dotalique aucte Viandâ.
Sic etiam magni Princeps ſucceſſor OTHONIS
Cliuia IANE, *tua & regio Marcana fuiſſet*
Iure tuæ dotis, ſtrictus niſi nodus iniquæ
Litis ab iniuſta conſanguinitate moratus

Iuſtitiam, legesq́ foret: nec tæda iugalis
ENGELBERTE tibi nil profuit: addita Bredæ
Lecca tibi eſt, & iure tua eſt Polana mariti.
Et tibi Burgundo iunctiſsime IANE Philippo
Maxime gentis honos, expugnatorq́ Dynanti
Auſpicijs Caroli, non paruam fœmina dotem
Attulit, & patribus duro mauorte paratas
Fert Hymenæus opes: ſic vobis maximus æther
Seruit, & effundit pleno ſe copia cornu.
Quid ſuccedentem IANI hunc quoque nomine natum
Moribus extollam, aut nulli cedentibus armis?
Exſuperat laudes, quicquid laudabile geſsit.
O pietas, o rara fides! non desijt eius
Ceu vitæ connexus amor meminiſſe ſepulti
Regis, at in ſobolem tranſcurrit gratia patris.
Nam comes Auſtriaci Caſtellæ in regna Philippi
Vt quondam coluit cum ſceptra teneret, & auras,
Sic coluit poſt fata virum: nec pignora (mirum)
Plùs vnquam ſua quàm natum curauit Herilem:
Cumq́ ſolo erepti regis raperentur iniquis
Bœticolæ inſidijs, nunquamq́ fidelis Iberi,
Diuitiæ, & virtute diu quæſita ſupellex
Obſtitit, & gemmas, & magni ponderis aurum,
Detulit hæredi: cœleſti ex arce Philippus
Vidit, & (heu fruſtrà) cœlo clamauit ab alto:
Quotquot ab Auſtriacâ ſurgetis gente nepotes
Diſcite ab euentu: tutò qui credere vultis,
Credite NASSOVIIS: Hiſpano fidete nulli.
Illum Bolſuarti obſidio flauente Sicamber
Cæſarie ſtupuit: Friſius miratus eundem eſt:
Quisq́ foret ſensêre hic hoſtis, & alter amicus.
Illum bis ſeptem celebrat Neoporta diebus
Geldrorum ſubrepta iugo, & donata Batauis
Aſpera, cum Geldros ſæuâ modò cœde tumentes
Iam profugos vnâ docuit dare terga ruinâ.
Hoc natus GVILIELMVS, opes cui præter auitas
Catthorum acceſsit ditio te iudice Cæſar.

Hic

Hic ditis quoque nomen habet, ſed ditior idem,
Si Romana foret veneratus ſacra, fuiſſet.
Sic ſincera nocet pietas, odiumq́ meretur
Relligio: ſemperq́ bonis mala ſæuius inſtant.
AVRIACVS ſequitur Princeps, par nomine patri,
Par pietate patri, ſed cui par nullus in armis,
MAVRITIO excepto genitorem imitante, ſed ipſo
Maiore hoc, ſeſe quod non negat eſſe minorem,
Præferriq́ patri meritorum laude recuſat.
Herculeos angues præludia magna laborum,
Hectoraq́ Atridenq́ & ſæuum ambobus Achillem,
Heroasq́ alias fas ſit celebrare Camæne:
Parcite MAVRITIO tantum: mens æmula cœlo
Dexteraq́ Hiſpani domitrix, ſi vera fatemur,
Quas ſuperat factis didicit non quærere Muſas.
Non capit illius, ne te ſententia fallat
Virtutes tabula hæc cœli, vel carminis arte
Vna quibus totus tabula eſt, neq́ ſufficit, orbis.
Aſpice nos, ſi forſan adhuc mortalia curas,
Nec pietas Batauos erga, GVILIELME, receſſit,
Quos tua felices fecit manus, aſpice natum,
Qui nos non patitur, licet haud patiamur & ipſi,
Non meminiſſe tui. Quis Relligionis amorem,
Prudentemq́ animum natum iſtis rebus agendis,
Virtutemq́ canat? Manſueta modeſtia pura
Mentis erat cuſtos, exulque ſuperbia ceſſit
Corde tuo, nunquamq́ nimis tua canduit ira.
Peſſima cum paterere diu meliora putâſti
Sperâſtiq́ tamen: nec ſi quid forſan Iberus
Prætendens nomen proprio Regale furori
Auſus erat, poteras metuendo aſcribere Regi,
Euentus donec docuit non eſſe Philippo
Peiores alios: ſed cum tamen hoc quoque noſſes,
Quicquid id eſt, animamq́ tuam vænire ſub haſtâ
Nil metuis, lethumq́ iuuat præferre timori:
Cumq́ tibi placeat quam nobis, Sancte dediſti
Libertas, quàm iura tui te perdere manis.

Evenêre Deûm nunquam caritura pudore
Crimina, quêis nondum reperêre vocabula linguæ,
Nec titulum Natura dedit: quo nomine dicas
Prodere, cumq; suis alienas vendere vitas?
Dilatis manibus tantum semel impulit illum,
Inq; vnum Fortuna diem cladem intulit omnem
Quâ prius immunes tam multos prestitit annos:
Si tamen est clades terrarum è carcere vectum
In geminos penetrare polos. Felicior ætas,
Et iudex rerum veniet non invida, quâ sit
Nulla fides tumulum monstranti Principis illum,
Narrantiq; immane nefas, tantasq; timendum
Virtutes vno nolit ne credere busto
Posteritas potuisse tegi, sed inane sepulcrum
Prædicet, & sitis tam vos, mea patria, Delphi
Mendaces saxo AVRIACI, *quàm creta tonantis.*







